



*Nab. 7*

MICHAEL KRISTE  
1655





ANΘΡΩΠΟΛΟΓΙΑΣ  
SACRÆ  
DISPUTATIO XXVII.

AD  
STATUM REPARATIONIS  
PERTINENS,  
DE

CAUSA FORMÆ  
LI IUSTIFICATIONIS

nostræ Pontificiis opposita,

ET

In inclyta VVitteb. Academia,

*Ad disputandum in privato Collegio proposita*

SUB PRÆSIDIO

BALTH. MEISNERI, SS. Th. D.

& Profess. Publ.

RESPONDENTE,

HENRICO GLAMBECIO

Lubecensi.

*Habebitur 5. Nov. ab hora 2. pomerid.*

---

WITTEBERGÆ,

Typis GORMANNIANIS, Anno 1618.



A N O B I S P R O P R I A

S A C R A

D I S P U T A T I O

S T A T I M R E A R A T I O N I S

F E R T I M E N T I S

C A U S A F O R M A

L I I I S T H E M A T I C I S

M A T H E M A T I C A

M A T H E M A T I C A

S U B T I T U L O

D A T A M A T H E M A T I C A M

A N N O

M E M B R O Q U A M T H E M A T I C I S

I N

M A T H E M A T I C A

E X P O S I T I O





ANOPHΘAOTIAZ

SACRÆ

DISPUTATIO XXVII.

De

CAUSA IUSTIFICA

TIONIS FORMALI.

Thesis I.



Actenus prolixè satis de causâ meritoria disputa-  
tatum est: nunc accessus foret faciendus ad  
causam instrumentalem, quæ est fides, meri-  
tum Christi apprehendens. Quia verò de fide  
publica dissertatione partim actum est, partim  
agendum restat, eandem doctrinam hic repe-  
tere nolumus, sed rectâ ad reliquarum causarum expositionem  
pergemus.

II. Tres autem supersunt: 1. *Materialis*, 2. *Formalis*, 3. *Finalis*. De *causa ma-*  
*formali causa summè controvertitur*, ideoq; prolixa requiritur *teriali iustifi-*  
*causâ*. *Materialis* verò & *Finalis* breviter explicari possunt, *cationis*,  
quod ipsum hic quasi præmij loco expeditum dabimus.

III. 1. *Causâ materiali*. *Iustificatio est actio*, ideoq; ma-  
teriam, ex quâ nullam habet: materia verò circa quam seu *obje-*  
*ctum* est homo peccator iustificandus, juxta illud Rom. 4. v. 5.  
*Credis in eum, qui iustificat impiura*, v. 7. *Beati quorum rem esse sunt ini-*  
*quitates* v. 8. *Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum*. Atque  
hinc contra Pontificios sic argumentamur: *Homo impius & pecca-*  
*tor*, suis operibus aliquid promereri aut se ad gratiam Dei applica-  
re, aut eandem prævenire nullatenus potest, quoniam opera ejus  
omnia mala sunt. *At verò ij, qui iustificantur, sunt homines impij*  
& peccatores, Ergò suis operibus aliquid promereri, aut se ad  
gratiam Dei applicare nullatenus possunt.

IV. *Ballarminus* parâ rectè hic philosophatur, cujus hæc  
sunt

A 2

sunt



sunt verbal. i. de justific. c. 2. *Causa materialis dicitur potest animus hominis, sive ipsa eius voluntas, in qua iustitia, tanquam in subjecto & sede propria commoratur. Pertinent quoque ad materialem causam dispositiones, que materiam preparant ad recipiendam formam.* In quibus verbis aliquot errores latent abdit. Nam 1. partem unam hominis, nempe animum justificationis objectum constituit, cum tamen totus homo sit justificandus, quippe totus, existens peccator. 2. Voluntatem vult esse subjectum sive materiam, cui inhaereat iustitia, tanquam forma. Verum aliud est *iustitia*, aliud *iustificatio*, de qua hic quaeritur. Est enim actio Dei, cujus subjectum in quo nullum potest esse, cum actiones transeant, non permaneant, nisi ratione firmitudinis & efficaciae. Petit insuper principium in hoc, quod iusti simus iustitia inhaerente: de quo infra fusiùs. 3. Dispositiones refert ad *causam materialem*, quas tamen ad *formam* refert Costerus in Enchirid. m. pag. 261. Alij ad *causam efficientem* reducunt. Sic autem inferimus: Materia tantum patitur non agit. Quicquid ergo actus est, materia non est. Dispositiones vero illae sunt actus, fatente Bellarm. Et confirmante ex Concil. Trident. Sess. 6. c. 6. Ergo dispositiones illae non sunt materia, aut aliquid materiale.

De causa finali.

V. 2. De causa finali. Hæc respectu vel Dei vel nostri consideratur. Respectu DEI finis est ipsius gloria, quam in negotio Justificationis manifestat singulariter declarando iustitiam & misericordiam, innuente Apostolo, Rom. 3. v. 24. 25. Respectu nostri finis est in hac quidem vita pax & tranquillitas conscientiae, Rom. 5. v. 1. *Iustificati fide pacem habemus apud Deum*: In altera vita salus & beatitudo aeterna, juxta illud Rom. 1. v. 16. *Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti*. 1. Petr. 1. v. 9. *Reportantes fructum fidei vestrae salutem animarum.*

VI. In hujus causae expressione nobiscum consentiunt Pontificij. Sic enim scribit Bellarminus lib. 1. de Justific. cap. 2. *Finis justificationis impij est gloria DEI & Christi, & salus aeterna eorum, qui iustificantur.* Et Costerus in Enchirid. *Finis seu causa finatis postrema est DEI gloria, quia universa propter semetipsum operatus est Dominus, Prover. 16. v. 4. Proxima est salus hominum, quia Deus omnes homines vult salvos fieri, 1. Tim. 2. v. 4. Ubi tamen notandum: 1. Ista testi-*  
monia



monia posse quidem certâ ratione huc accommodari, sed ta-  
men videri Jesuvitam aliud intendere, nimirum ut generalissi-  
mis istis dictis possit abuti, ad quorundam Scholasticorum opi-  
nionem palliandam, quâ multos dicunt extra Christum etiam  
justificari, solâ lege naturæ. 2. Si Justificationis finis est gloria  
solius Dei, quærimus ex Jesuvitis, quomodo introritti possint  
nostra opera in circulum justificationis? Quicquid enim justifi-  
cat, illi gloria justificationis tribuitur. Bona nostra opera ju-  
stificant, ex mente Pontificiorum. Ergò bonis nostris operibus  
tribuitur gloria justificationis, & per consequens, finis justifica-  
tionis non est gloria solius Dei, sed etiam gloria honorum ope-  
rum. Atque hic considerari debet *meritum condigni*, quod illi  
præter & contra Scripturam statuitur. Neque hinc sese extricare  
poterunt, si maximè dicant, *istam gloriam deberi Christo, quia morte  
suâ hanc dignitatem nostris operibus contulerit, ut justificare valeant.* Nam  
inde hoc consequitur quidem, finem justificationis esse gloriam  
Christi, sed tamen alterum illud nihilominus manet, finem ju-  
stificationis esse gloriam honorum operum. Et quocumque tan-  
dem modo differant, semper hoc verissimè affirmatur ex illo-  
rum opinione, finem justificationis esse gloriam Christi, nem-  
pe primariò, deinde etiam gloriam honorum operum, nempe  
secundariò. Quod blasphemum esse fatebuntur universi, qui  
Christo in solidum ascribendam justificationis gloriam ex Evan-  
gelio didicerunt. Quare hæc Scripturæ testimonia proprie huc  
pertinent, Ephes. 1. v. 5. *Ad laudem gloriæ gratiæ suæ, quâ justificavit nos.*  
Item Rom. 9. v. 25. 1. Cor. 1. v. ult. Rom. 3. ver. 27 1. Pet. 2. v. 9 Ex quibus  
omnibus patet, soliis Dei Patris, Filij & Spiritus sancti gloriam  
esse justificationis finem.

VII. His igitur Procemij loco ita declaratis, ad gravissimam  
de *causa Formali* controversiam accedimus, ubi Romanenses pu-  
gnant, pro justitia inherente, nos autem pro imputativa. Pla-  
cet autem *Jesuv* orthodoxam hac disputatione proponere, &  
*de illis Jesuv* in sequentem rej cere. Circa illam *duæ* quæstiones dis-  
cutiendæ veniunt, de quibus hac *συζήτησις* erit differendum.  
I. *Quæ tam nostra tum Pontificiorum de causa formali sit opinio? unde ve-  
rus emergit status controversiæ?*



II. Quibus precipue Argumentis orthodoxa sententia de imputativa justitia confirmari queat.

## QUÆSTIO I.

Quæ Pontificiorum & Nostra de formali justificationis causa sit opinio, & in quo consistat verus controversiæ status?

IIIX. Quod Athanasius olim dicebat, Veritatis viam semper simplicem, incredulitatis autem multa esse diverticula, illud etiam ex hac cum Pontificijs controversia satis perspicuum evadit. Non enim omnes unius & ejusdem semper fuerunt, & sunt sententiæ, sed errores suos nunc hoc, nunc alio modo proposuere & palliare. Recensebimus ergo primum varias eorum de Justificatione formali opiniones, deinde, quid à Jesu vitiis hodiè plerumque docetur, adnotabimus.

Lombardi  
opinio.

IX. Petrus Lombardus ut charitatem posset constituere formam justificationis, disputat l. 3. sent. dist. 27. lit. C. Eam non esse qualitatem aliquam in nobis, quia omnia nostra imperfecta sunt, sed esse ipsum Spiritum sanctum. Atque hinc videtur promanasse Iohannis Cochlei argumentum; Certum est, Deum nos justificare. Sed Deus est charitas, non fides. Ergo charitas, non fides, justificat. Quæ conclusio, quantum ad fidem attinet, contradicit assertioni Apostolicæ, Rom. 3. v. 28. Colligimus fide justificari hominem absque operibus. Talis etiam videtur fuisse speculatio Osiandri. Cùm enim vellet justitiam coram Deo esse aliquid nobis inhxrens, & consideraret pollutionem & imperfectionem inhxrentis novitatis, confugit ad justitiam Dei essentialem.

Osiandri.

Gropperi.

X. Alij, inter quos est Gropperus, dicunt, opera charitatis justificare, non, qui nostra sunt, sed quia profecta sunt à SS. vel quia tincta sanguine Christi. Verùm hanc sententiam de actuali seu activa justitia ex professo refutat Bellarm. l. 2. de just. c. 16. Hosius dicit, opera charitatis esse quidem imperfecta, sed habitum charitatis in credentibus esse perfectum, & illam etiam formam justitiæ nostræ. Sed hoc manifestè falsum est. Habitus enim charitatis spectat ad renovationem

Hesii.

vatio:



variationem voluntatis, quæ de die in diem mutatur, & manet  
cunctas carnis mortificanda per totam vitam, ideoq; charitatis ha-  
bitus non est perfectus, alias posset impleri mandatum, *Diliges De-  
um tuum ex toto corde*, quod ipsum tamen negat *Lomb. l. 3. dist. 27.*

X I. Alberto Pighio & Autoribus antididogmatis Coloniensis Bellarmi-  
nus l. 2 de justis. c. 2. hanc tribuit sententiam, quod docuerint, Pighij.  
formalem causam Justificationis duplicem esse, *justitiam nostram  
inherentem, & justitiam Christi imputatam; seu, remissionem peccati, &  
infusionem gratie.* In hac quoque sententia videtur fuisse Georgius  
Cassander in Consultat. sua, ubi scribit justificationem non con-  
sistere in sola peccati remissione, sed simul etiam in renovatio-  
ne. Verum Bellarminus asserit, anathema à Tridentinis dictum  
esse ijs, qui statuunt nos per Christi justitiam esse justos formali-  
ter. Et urget hoc argumentum: *Formalis causa justificationis est unicus  
secundum decretum Concilij Tridentini. Ergo non potest esse duplex.*

X II. Hoc ipsum opponimus nos quoque Iohanni Pistorio, cu-  
jus hæc est sententia de Just. th. germ. 65. *Semel verum est, inquit  
ille, justificationem asserre remissionem omnium antecessorum peccatorum.  
sicut Paulus ait Rom. 3. v. 21. Sed hoc non sufficit, nec oportet propter decla-  
rationem unice partis alteram omitti, th. 66. Quod autem vocabulum justifi-  
cationis non tantum remissionem peccatorum significet, sed etiam renovatio-  
nem mentis, & vivificationem interioris totius hominis, aliquot dictis Scripta-  
ra ostendemus, & th. 38. Hæc dua operationes, sc. remissio peccatorum & in-  
fusio gratie, quæ ut privatio & forma, sive corruptio & gratia opponuntur,  
produciunt unum effectum, qui in Scriptura dicitur justificatio: quæ homo  
non tantum remissionem peccatorum, sed etiam virtutem impetret peccatis re-  
sistendi, & quæ formaliter in ipso an vnd in ihm selbst / justus sit.* Pistorij.

X III. Non autem hoc loco portentum istud Pistorianum  
fusiis examinare volumus de privatione & forma concurrenti-  
bus, ad constituendam justificationem. Remissio sanè peccato-  
rum non est privatio seu corruptio, ut somniat Pistorius sed ipsum  
peccatum privatio est justitiæ. Unde peccati remissio non priva-  
tio, sed privationis sublatio est, neq; corruptio, sed vera est rege-  
neratio. Et quis unquam fando audivit, ex privatione & forma  
conjointis unum produci effectum? Imo, qui fieri potest, ut pri-  
vatio & forma conjungantur, cum sint opposita, quorum positio  
uno, alterum tolli necessum est?



Becanus.

Costeri &  
Bellarmine.

XIV. Pistorio videtur assentire Becanus, in disputatione de Justific. Catholicorum c. 2. th. 2. ubi ait, justificationem consistere in duobus, primo in remissione seu expulsionem peccati? Secundo in infusione & acquisitione justitiae. Sicut calefactio, inquit, quae quis ex frigido fit calidus, continet duas partes, depulsionem frigoris & acquisitionem caloris. Et in hoc dissentit à justificatione primorum Parentum & Angelorum, quae constabat solâ infusione gratiae, non autem peccati remissione. Sed ab hoc dissentit Costerus p. 261. Et Bellarm. lib. 2. c. 20. quamvis hæc dissensio non adeo magna esse videatur. Nam videtur ipse Bellarminus d. l. duos esse terminos ejus motus, qui dicitur justificatio, sive duos effectus ejusdem causae. Justificatio enim desinente Concilio, est translatio hominis ab eo statu, in quo nascitur filius primi Adam, in statum adoptionis filiorum Dei. Non potest autem juxta ipsum, hæc translatio fieri, nisi homo per remissionem peccati desinat esse impius, & per infusionem justitiae incipiat esse pius. In hoc verò solùm dissentiunt, quod Bellarminus putat, justitiam inherenter solam esse formalem causam justificationis, quâ & peccata remittantur, & nos justisimus: Becanus verò & alij statuunt, formalem causam esse duplicem, & propter aliud remitti peccata, videlicet propter Christi meritum imputatum, propter aliud nos esse justos, videlicet propter justitiam inherenter. Bellarminus ita differit: Sicut aer cum illustratur à Sole, per idem lumen, quod recipit, desinat esse tenebrosus, & incipit esse lucidus, sic etiam homo per eandem justitiam, à Sole justitiae donatam atque infusam, desinat esse injustus, delente videlicet lumine gratiae tenebras peccatorum, & incipit esse justus, succedente nimirum tenebris peccatorum ipsâ luce justitiae. Hinc igitur sequi videtur, non tam in re, quam in termino formalis ipsos dissentire.

Sententia  
Concilij Tri-  
dentini.

XV. Verùm ut appareat, non nudas & meras esse *λογουχίας*, sententiam Pontificiorum accuratius considerabimus, prout eam proposuit Concilium Tridentinum, Bellarminus, Costerus & Becanus. Sententia Concilij Tridentini ita habet, quemadmodum patet ex ejusdem Examine à Chemaitio instituto. In omnibus mutationibus naturalibus, antecedunt quaedam, quae subjuncta præparant ad suscipiendam formam: Ita etiam in mutatione hæc spiritali hominis peccatoris præcedunt quaedam dispositio-



tiones, quibus homo præparatur ad suscipiendam novam justitiae formam. Ita enim habet Canon 9. Sess. 6. *Si quis dixerit, solâ fide impium justificari, quod ad justificationis gratiam consequendam non cooperetur, & nullâ ex parte necesse esse, eum suâ voluntatis motu præparari atq; disponi, anathema sit.* Per has verò dispositiones & præparaciones Tridentini Patereuli non intelligunt istum modum, & ordinem, qui in pœnitentia hominis peccatoris necessarius est. Oportet enim ante justificationem præcedere contritionem, hoc est, seriam agnitionem peccatorum, pavores conscientie, propositum abjiciendi scelera: oportet accedere fidem, quæ verâ fiduciâ Christum apprehendat, & sibi peccata ejus merito condonari statuat. Si hunc ordinem per præparaciones intelligerent, non usque adeò ab ijs dissentiremus. Nam & Lutherus inquit in 3. c. ad Galatos: *Legem in vero suo officio esse ministrantem, Et præparatricem ad gratiam, quia ad hoc proficit, ut gratia possit aditum ad nos habere.* Hosius verò explicat, quid Tridentini per præparaciones intellexerint, nempe nil aliud, quàm quod Scholastici per meritum congruè norant, quemadmodum hoc deducit Chemnitius in Exam. m. p. 156. 157. Illas ergò præparaciones putant esse meritorias, quia Deus cuilibet facienti, quod in se est, & per hoc sufficienter disposito ad susceptionem gratiæ, infundit gratiam propter meritum congruè. Congruum enim ipsis videtur ut homini facienti quod in se est, Deus suam largiatur gratiam. Atque hoc modo fidem justificare statuunt, videlicet non sub ratione instrumenti apprehendentis meritum Christi, sed potiùs sub ratione dispositionis & præparationis. Expressè enim scribit Andradius, *justificandi vim in sacris literis, fidei ideò tribui, quia animam ad excipiendam justitiam præparet, præmuniat & præfulciat.* Sicut enim in Philosophia, actio virtutis nascitur ἐκ προαίρεσιως, hæc verò oritur ex scientia: Ita dicunt, quòd justitia sit habitus voluntatis, voluntas verò non fertur in incognitum, sed movetur à potentiâ cognoscente, ideò fidem putant requiri ad justificationem, tanquam quoddam dirigens voluntatem, ut eliciat motus spei & dilectionis, quibus ita præparetur & disponatur, ut de congruo mereatur infusionem justificationis, Per fidem igitur intelligunt historiam

B

cam



eam tantum notitiam, & nudum assensum, quo in genere cognoscimus, & statuimus vera esse, quæ de Deo & voluntate ejus revelata sunt, non tantum in Scriptura, verum etiam per Traditiones non scriptas Ecclesie Romanæ.

Quosnam  
Pontificij sta-  
tuant actus  
preparato-  
rios.

XVI. Ut verò sciamus, quor & quales actus preparationis constituantur, sic illas enumerat Gabriel Biel lib. 3. distinct. 14. quæst. 2. *Voluntas*, inquit, *in actibus suis præsupponit actus intellectus*. 1. Oportet igitur *actum fidei præcedere*, quo apprehendatur peccati abominatio, & quòd sit stipendium peccati. 2. Inde sequitur *timor ira Dei, & gehenna incendiij*. 3. Inde peccata incipiunt *displicere* cum quadam detestatione. Et hæc dispositio de congruo, non immediata, nec sufficiens, sed valdè remota. 4. Fides convertit se *ad considerationem divinæ misericordiæ*, & statuit Deum paratum remittere debita, per infusionem charitatis, illis qui sufficienter sunt preparati & dispositi. 5. Ex illa consideratione sequitur *actus spei*, per quem incipit DEUM concupiscere, ut summum bonum. 6. Ex illo actu spei ascenditur *ad diligendum DEUM* super omnia ex naturalibus. 7. Ex illa dilectione elicitur alia *displicentia & detestatio peccati*, non ob timorem damnationis: sed propter DEUM finaliter super omnia dilectum. 8. Istos actus sequitur *propositum emendationis*. Et hoc tandem est meritum congrui sufficiens, seu immediata sufficiens & ultima dispositio ad infusionem gratiæ.

Per prepara-  
tiones stabili-  
tur meritum  
operum.

XVII. Hinc igitur apparet, quid Concilium suis illis preparationibus quærat, nempe, ut stabiliatur meritum aliquod nostrum, ac si illud requireretur ad consequendam justificationem. Dicunt enim hanc ita iniri misericordiæ Dei, ut tamen salva esse debeat justitia divina, nec conferatur salus sine nostro aliquo merito, vel sine dignitate propriâ. Nam quævis cap. 8. dicatur, *nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, sive fides sit sive opera, ipsam justificationis gratiam promereri*, attamen hoc tantum de merito condigni, non autem congrui intelligunt, ut patet ex *Andradij* explicatione à Chemnicio anno-



annotata m. pag. 158. Et quemadmodum dispositiones prorsus necessariae sunt ad educationem formae, sic, quia Tridentini Patres opera fidelium vocant preparationes, sequetur nostras opellas omninò necessarias & maximè utiles esse ad justificationem. Hoc igitur primùm teneatur, *Tridentinos statuere dispositiones meritorias.*

XVIII. Postquam autem sufficienter homo sese disposuit & preparavit, ad futuram justificationem, ibi cum DEUS, juxta Pontificios, immittit & infundit humano cordi justitiae habitum, quo peccata penitus eluantur & extinguantur, homoque formaliter justus reddatur, & ad vitam aeternam acceptetur. Statuunt enim, justificationem non esse solam imputationem justitiae Christi, vel solam peccatorum remissionem, sed & sanctificationem & renovationem interioris hominis. Nam cap. 7. ita decernunt: *Unica formalis causa est justitia DEI, non quã ipse justus est, sed quã nos justos facit, quã videlicet ab eo donati, renovamur spiritu mentis nostrae, & non modo reputamur, sed verè justii nominamur & sumus, justitiam in nobis recipientes, quam Spiritus sanctus partitur singulis prout vult, & secundum propriam cujusque dispositionem & preparationem.* Hoc ipsum mox plenius explicant, cum dicunt, *charitatem esse justitiam inherentem.* Et hanc esse candidam & immaculatam illam stolam, quam renati perferre debeant ante tribunal Christi, ut habeant vitam aeternam. Sine dissimulatione igitur Christo adimunt, & nostrae charitati hoc tribuunt, quod eã justificemur.

XIX. Dicunt insuper cap. 7. *Christum suã sanctissimã passione meruisse non hoc, ut misericordia Dei, propter illam Christi satisfactionem & obedientiam nos à sententia damnationis absolvat, recipiat in gratiam, adoptet in filios, sed hoc dicunt totum esse meritum Christi, quod propter illud misericordie Dei infundat nobis novam qualitatem justitiae inherens, hoc est, charitatem.* Putant ergò nos non propter Christi obedientiam, sed propter nostram charitatem à peccatis proximè absolvi, & ad vitam aeternam acceptari. Quòd verò Paulus dicit, *gratis nos justificari,* hoc ita interpretantur, quòd non propter nostra praecedentia merita ex condigno, sed propter Christum



gratias nobis donetur & infundatur habitus ille charitatis, propter quam coram tribunali DEI justus pronunciemur ad vitam æternam.

XX. Illud verò insuper notandum, quomodo existiment justificationem simul consistere in remissione peccatorum. Ita verò hoc explicat Andræus: *Quia justus is dici non potest, qui totus peccatorum maculis est inquinatus, ideo Deum infundere homini charitatem, cujus vi & potentia crimina omnia eluantur &c.* Hoc ipsum est quod Sententiarum dicunt, ad remissionem culpæ requiri infusionem gratiæ, hoc est, charitatis, per quam peccatum expellatur, sicut ad expulsionem tenebrarum requiritur illuminatio æris. Qui igitur vult remissionem peccatorum accipere, is juxta Concilij sententiam, interponere debet inter peccata sua, & offensam Dei non satisfactionem Christi, sed inhaerentem suam charitatem, & tum demum credat, Deum remissam offensam sibi certò placatum & propitium esse, quando charitas peccatum ita expulit, ut omne ejus vestigium in homine abolitum sit. Peccati proinde remissio non est ipsis sublatio reatus, sed extinctio & expulsio ipsius etiam *avopias* & deformitatis, quæ proximè non fiat propter Christi meritum & satisfactionem, sed propter charitatem infusam. Non enim Christus juxta ipsos meruit nobis gratiam & misericordiam Dei, ut immediatè credentibus dimitteret peccata, sed potius, ut charitas infundatur, quæ formaliter justus simus, peccata remittantur, & prorsus extinguantur. Ubi nam verò hoc in Scripturis fundatum? Annon Christus ipse peccata nostra sustulisse, & pro ipsius morte suam satisfecisse dicitur? Annon ita summa vis merito Christi adimitur, & nostris opellis ascribitur?

*Meritum Christi  
si evacuatur  
à Pontificijs.*

XXI. Hanc ipsam nihilominus Concilij, sententiam acriter propugnat Bellarminus L. 2, cap. 2. scribit, *nos justificari formaliter propter novitatem nobis inhaerentem, non propter meritum CHRISTI, quod inhaerere non potest.* Addit etiam, quòd eadem justitia infusa & liberemur à peccatis, & constituamur formaliter justus, sicut unum & idem lumen, tum tenebras ex aère pellit, cum



tum verò lucidum simul aërem efficit, cap. 15. disputat, solam esse habitualem justitiam, per quam formaliter justi nominemur & simus, justitiam verò actualem, hoc est, opera verè justa, justificare quidem ut A. Jacobus loquitur, cum ait c. 2. Ex operibus hominem justificari, sed meritorie, non formaliter.

XXII. Proinde breviter Concilij Tridentini & Bellarmini hæc est opinio, quod proxima completa & immediata causa justificationis, quæ & peccata remittuntur, & nos justi constituimur, sit infusus charitatis habitus, meritum Christi autem sit causa remota, ob quam non peccata *πρότερον* remittantur, & nos justi simus, sed ob quam charitatis habitus infundatur, qui & peccata tollat, & nos verè justos faciat. Idem statuit Costerus, cujus sententiam de modo preparationis duplici, de fide non sola justificante, de infusione Justitiæ, vide à pag. 261. usq; ad 271. Nec enim opus est, ut hic singula ipsius verba ascribamus.

XXIII. Becanus doctrinam Pontificiam ita proponit c. 1. th. 3. facit duplicem justificationem, primam, quæ consistat in acquisitione justitiæ; & secundam, quæ consistat in augmento ejusdem; primam esse gratuitam, secundam ex meritis bonorum operum; de prima Paulum, de secunda loqui Jacobum. Prima justificatio ipsi vicissim duplex est, cap. 2. th. 1. Altera, quæ quis ex non justo fiat justus, quo pacto primi parentes in Paradiso & Angeli in sua creatione justificati sint. Altera, quæ quis ex injusto fit justus, quo pacto peccatores justificantur. Alphonsus Salmeron tomo 13. p. 243. tertiam justificationis speciem adjicit, eam nempe, cum quis sententiâ Judicis absolvitur & pronunciat justus, quæ non nisi post hanc vitam justis contingat, & ad illam respexisse Paulum, Rom. 2. vers. 13. quando inquit de futuro: Factores legis justificabuntur. Justificationem verò secundam dicit Becanus esse translationem à statu peccati in statum gratiæ, & consistere tum in expulsionem peccati, tum in infusione justitiæ. Ad hanc certas docet requiri dispositiones c. 3. inter quas numerat fidem generalem, timorem judicij divini, spem divina misericordiæ, amorem erga Deum, & detestationem peccati, cum annexo proposito vitæ melioris & observationis mandatorum Dei. Quibus dispositionibus præsentibus, statim infundi ait justitiam habitualem, quæ nihil sit aliud, quàm gratia justifica-

Doctrina Pontificiorum, ut à Becano explicatur.





*faciens, seu gratia gratum faciens, quam à charitate distinctam facere vel non, parum referre putat: hanc ipsam autem peccatum tollere, abolere & extinguere: ideoque censet ad veram peccati remissionem, non sufficere extrinsecam, ut vocat, DEI condonationem, sed opus esse aliquam mutationem, quæ ex natura sua repugnet peccato, & cum illo consistere non possit, c. 5. th. 5. Porro th. 9. affirmat, illam ipsam gratiam vel justitiam habitua- lem, non creari, nec creando infundi, sed potius educi è potentia a- nime, tanquam materie, non quidem potentiâ naturali, sed obe- dentiali.*

XXIV. Atque hæc est Pontificiorum de Justificatione homi- nis peccatoris sententia, cujus summam & quasi quoddam compendium ita proponimus: Ad justificationem tria requi- rantur, *dispositio, justitiæ infusio, & peccati expulsio.* Dispositio est meritoria secundum congruum, ut nonnullis placet, vel sal- tem omninò necessaria. In justitiâ infusa consistit ipsa justi- ficationis forma; ob istam enim & peccata expelluntur, & nos justii constituimur: Meritum Christi autem non est causa factæ remissionis proxima, sed solum meritorie justificat, quia pro- meruit charitatem, quâ justificamur: Fides etiam non justificat per modum instrumenti, sed duntaxat dispositivè & præparato- riè.

*Errores Pon- tificiorum de Justificatione.*

XXV. Unde porro apparet, non meram esse *λογομαχίαν* in- ter nos & Pontificios, sed multos eosque gravissimos ab iis fo- veri errores. Nam 1. statuunt dispositiones esse meritorias, at- que sic operibus contra Scripturam haut parum ascribunt. 2. Fidem solum justificare negant, eamque tantum per dispositio- nis modum, non autem per rationem instrumenti justificare ar- bitrantur. 3. Fidem definiunt per nudam sine filiali fiducia no- titiam. 4. Duplicem faciunt justificationem, primam & secun- dam, quæ tamen distinctio in Scripturis nullum habet funda- mentum, & maximam parit confusionem, justificationem cum sanctificatione, & hanc cum illa permiscens. 5. Meritum Christi planè evacuant, quippe quod non arbitrantur peccata tollere, sed duntaxat nobis hoc conciliasse, ut Deus infundat justitiam, peccatum tollentem, quod tamen contra universam est



est Scripturam. 6. Imputationis, de qua sacrae literae passim loquuntur, ne verbo quidem mentionem faciunt. 7. Formaliter & unicè nos justos dicunt renovatione & infusâ sanctitate, cum tamen hæc omnia sint imperfecta & non nisi inchoata, cum iidem opera bona sequantur justificatum, non præcedant justificandum. 8. Arbitrantur peccata prorsus tolli, & ita extinguï, ut homo post justificationem liber sit à peccato, ( siquidem remissio ipsis non tantum est absolutio à pœna, sed etiam eradicatio & annihilatio ipsius culpæ. ) cum tamen tota Scriptura, & omnium sanctorum exempla prorsus dicant contrarium. Et hæc sanè sunt errata gravissima, ex quibus apparet quomodo à nobis dissentiant Pontificij; & quòd hæc controversia non sit mera λογμαχία, sed concernat ipsum fidei nostræ fundamentum, quo labefactato salvari nullo modo possumus.

XXVI. Restat jam, ut orthodoxam nostrarum Ecclesiarum sententiam, Pontificiorum opinioni oppositam, recitemus, & similiter nonnihil fusiùs explicemus. Antequam verò hoc fiat, duas usitatissimas removebimus calumnias, quibus Romanenses doctrinam nostram, de gratuita hominis peccatoris justificatione prægravare solent. Altera est, quod putativam duntaxat doceamus justitiam, ubi pro justis quidem reputemur, sed justus non sumus. Andræus certè imputatam justitiam vocat amentissimam insaniam. Stapletonius in Anridotis Apostolicis, spectrum nominat cerebri Lutherani Bellarmino est justitia imaginaria, putativa, ficta. Verùm apertissima hæc est calumnia, quoniam imputativa justitia vera est justitia, licet non inhæreat. Sicut enim nos verissimè satisfacisse pro peccatis credimus, quia Christus pro nobis satisfecit; ita verissimè justus sumus, quia justitia CHRISTI nobis imputatur. Maximè ergò hæc differunt, esse imputativè & putativè justum. Non hæc se invicem ponunt, sed potiùs tollunt & remonent. Altera est, quòd doceamus, credentibus quidem remitti peccata, sed illos non renovari, non mutari. Verùm utrumque docemus, nempe quòd Christus suâ passione meruerit nobis, non tantum remissionem peccatorum, sed etiam hoc, quòd propter ipsius meritum detur nobis Spiritus S. ut renovemur  
Spiri-

Duplex calumnia Pontificiorum.



Spiritu mentis nostræ. Hæc beneficia Filij Dei dicimus quidem esse conjuncta, ita, ut quando reconciliamus, simul etiam detur Spiritus renovationis; ast propterea non confundimus illa, sed distinguimus, ita quidem, ut cuique suum locum, ordinem & suam proprietatem tribuamus, sicut ex Scriptura dicimus, nimirum ut reconciliatio seu remissio peccatorum præcedat, & sequatur deinde renovatio, ob quam certè peccata nobis remitti haud possunt. 1. Cùm peccatorum remissionem sequatur. 2. Cùm ob imperfectionem suam in iudicio Dei consistere nequeat. Interim libenter fatemur, omnem justificatum simul renovari & quasi mutari, ob hanc verò novitatem non absolvitur à pœna, non justus pronunciat, sed potius propter Mediatorem fide apprehensum.

Damnatus  
antiquos he-  
reticos.

Duo extrema  
vitanda in lo-  
co de iustifi-  
catione.

XXVII. Damnatus igitur expressè *Simonis Magi* blasphemiam qui finxit hominibus, fide salvatis, liberum esse, ut agant quæcunque velint. Damnatus *Basilidem*, qui finxit, ita nos solâ gratiâ, ex fide salvari, ut omnes qualescunque actiones, & quidem universa libido indifferenter usurpari possit. Damnatus *Gnosticos*, qui dixerunt, se salvari ex sola cognitione, & propter fidei excellentiam se adedò spirituales fieri, ut non possint gratiâ excidere, quicquid etiam perpetrent. Damnatus *Aëtium & Eunomium*, quos *Augustinus* hæresi 54. bonis moribus adedò inimicos fuisse scribit, ut asseverarent, quòd nihil cuiquam obesset, quorumlibet perpetratio & perseverantia peccatorum, si modò hujus, quæ ab ipsis docebatur, fidei particeps esset. Nos enim benè novimus, duo extrema in hoc justificationis negotio studiosè esse devitanda, *Epicureismum & Pharisaismum*. Ita enim justificatio ascribenda est fidei, ne *Epicureismum* introducamus, & bona opera prorsus tollamus. Ita vicissim defendenda sunt bona opera, ne *Pharisaismum* invehamus, & bonis operibus ipsam ascribamus justificationem. Non igitur studium bonorum operum omninò negamus, non tollimus & inficiamur renovationem hominis, sed in ijs nostram consistere *δικαιοσύνην* imus inficias.



XXIX. Calumniis ergo istis dispulsis, nostram sententiam subjungimus, quæ hæc est: *Nascitur homo totus in peccatis, ita ut naturâ sit filius iræ, inimicus Deo, æternæ damnationis reus.* Ab his pœnis, nimirum ira Dei & damnatione æterna, agendo & patiendo liberavit nos Christus. Quoniam verò nullum munus & frugiferum & salutare, nisi accipiatur, idcirco fide opus est, si hanc gratiam acceptare volumus. Quando igitur homo vult justificari, hoc est, absolvi ab ira Dei & damnatione æterna, atque in gratiam & ad vitam æternam acceptari, queritur, *quid interponere debeat inter iram Dei, & inter peccata sua:* Non enim vitam meruit, sed mortem; queritur proinde quâ ratione possit à pœnâ mortis absolvi atque ita justificari? Hic certe novitatem & bona opera interponere nequit, cum nulla habeat, & tamen haberet, imperfecta nihilominus forent, & aliâs debita. Universa igitur clamat Scriptura, quod homo ipse non possit satisfacere pro peccatis suis, non possit consistere in iudicio Dei, sed necesse sit, ut *λύτρον* illud infinitum & *ἰσούροπον* Christi Meditatoris apprehendat, ob quam apprehensionem imputatur, non secus ac si ipse satisfacisset; ob hanc satisfactionem absolvitur à pœna, adeoque justificatur, ad vitam æternam acceptatur, & pro Filio Dei habetur. *Justificatio enim duo complectitur, absolutionem à pœna, & acceptationem in gratiam:* A pœna absolvimur, quia imputatur nobis per fidem Christi satisfactio: In gratiam ad vitam æternam acceptamur, quia imputatur nobis per fidem Christi obedientia. Hoc ipsum est, quod alij dicunt, in justificatione concurrere duplicem imputationem, non quidem reipsâ differentem, sed tantum distinguentem unum justificandi actum diversorum terminorum respectu; 1. *affirmatam*, quâ Christi justitia nobis imputatur, & *negatam*, quâ nostra justitia nobis non imputatur. Alij sic effert: Imputationis *geminus* est modus; unus *σπρηλικός*, quo id quod adest, vel inest, non imputatur; alter *Ἰετικός*, quo id, quod non inest, imputatur ac si adesset. Minatus enim erat DEUS mortem delinquentibus, & promiserat vitam obedientibus. Nos verò omnes, qui justificari volumus, peccatis infecti sumus, & mortem promeruimus, à qua si absolvi debeamus, necesse est, ut vel ipsi, vel pro nobis satisfaciatur alius. *Ipsi non*

*Explicatio  
nostra sententia.*

*Justificatio  
duo comple-  
ctitur.*

C

non





non possumus, ideoque pro nobis satisfecit Christus, quæ satisfactio, ut nostra fiat, fide opus est. Rursus si vitæ æternæ hæredes esse volumus, requiritur, ut legem impleamus, vel ipsi, vel pro nobis alius. Implevit autem Christus, quæ impletio si nostra esse debet, vicissim fide opus est. Quoniam igitur nullum aliud datur medium, quo Christi meritum activum & passivum apprehendamus, hinc fit, ut solâ fide justificari dicamur, & quidem non per modum dispositionis alicujus meritoria, sed potius per modum instrumenti: Sola enim fides est, quæ apprehendit, & sibi proprium facit Christi meritum, per quam apprehensionem nobis remittuntur peccata, ita tamen, ut hæc remissio non sit peccati omnimoda deletio, (si enim actuale est, ex facto infectum reddi nequit, si originale, eradicari nequit, nisi naturam destruas) sed reatus ablatio, vel pœnæ peccatis debitæ sublatio.

*Causa formalis dupliciter sumitur.*

XXIX. Atque hinc facile erit judicare, quæ sit causa formalis justificationis: quod antequam exponatur, hæc prius notanda est distinctio: Causa formalis vel notat ipsam totam rei quidditatem, vel causam quidditatis eam, per quam res est, id quod est. Nam alia dicitur, esse forma *Metaphysica*, quæ totam innuit quidditatem, ut *humanitas*; alia *Logica*, quæ præcisè ponit causam quidditatis, ut *rationalitas*. Si totam quidditatem notat, tunc dicimus justificationis formam esse *remissionem peccati, seu absolutionem à pœna peccati, & acceptationem in gratiam, ad vitam æternam, propter Christi meritum, fide apprehensum*. In his enim consistit omnis nostra justificatio, juxta illud Rom. 3. v. 25. *ad ostensionem justitiæ, ἵνα τὸν πᾶσι ἁμαρτωλοῦν τῶν ἡμετέρων ἀμαρτημάτων*, das er die Gerechtigkeit darbiete / in dem / daß er die Sünde vergibt. Hic expressè δι' αἰτίας nostra in remissione peccatorum posita, esse dicitur. Si per formam intelligis præcisè non totam quidditatem, sed id duntaxat, per quod res est, id quod est, dico hoc nihil aliud esse, quàm *meritum Christi per fidem imputatum, vel meriti, fide apprehensi imputationem*. Si enim quæras, *cur à pœna peccati absolvimur, & in gratiam acceptemur?* Respondet universa Scriptura, *quia passio & obedientia Christi per fidem imputatur, ac si nos ipsi pro peccatis satisfecissimus*.

XXX. Atque hæc distinctio si ritè teneatur, facile conciliari nostrates poterunt, quibus aliàs perpetua objicitur dissensio à Pon-

Pon-



Pontificijs. Salmeron. tom. 15. pag. 25. inquit : *Lutherani propè ad vi-* Calumnie  
*ginti duas opiniones de justificatione inter se pervenerunt.* Bellarminus Pontificiorum  
*scribit l. 2. de justific. c. 1. Errores Evangeliorum de justificatione quinq<sup>3</sup> nostrâ dissen-*  
*numerari posse videntur.* Unus est , *formalem causam justificationis esse sione circa*  
*fidem, quod Luthero & Augustanæ confessioni tribuit.* Alter, *causam for-*  
*formalem causam esse Christi obedientiam, & justitiam nobis imputatam, malem,*  
*quod Illyricus docuit.* Tertius , *formalem causam esse justitiam Dei*  
*essentialem nobis inhabitantem, quod Osiandro placuit.* Quartus, *for-*  
*malem causam propriè esse remissionem peccati, quod Calvino assignat.*  
*Quintus, formalem causam justificationis duplicem esse, justitiam nostram*  
*inherentem, & justitiam Christi imputatam.* Id enim Pighius, & qui-  
dam alij docuerunt. Sed errorem Osiandri nobis objicere nequit,  
cùm ipsi eundem refutemus. Cum Pighio etiam nihil commune  
habemus. Viderit autem, quomodo conciliet hæc verba claris-  
sima Concilij Trident. sess. 6. c. 7. ubi decernitur, quòd *justificatio non sit*  
*sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio, & renovatio interioris hominis.*  
Ipsi igitur Tridentini Patres in duobus justificationem consistere  
asserunt. Neque effugiet Bellarminus, si dicat, *ita loqui Concilium, ut*  
*notet duos terminos justificationis, sive duos effectus ejusdem cause, l. 2. c. 2.*  
Nam renovatio profectò non est effectus, sed forma justificatio-  
nis, juxta ipsum : Et Concilium ibi non loquitur de terminis, aut  
effectibus Justificationis, sed potius eam ex professo definit, di-  
citque constare & remissione peccatorum, & renovatione. Reli-  
quæ verò sententiæ, de causa formali prolatae, non pugnant. Nam  
quando justificationis formale dicitur remissio peccatorum, vel  
acceptatio in gratiam, ibi per formale tota intelligitur quiddi-  
tas. Quòd si verò vel fides, vel gratia Dei, vel obedientia Chri-  
sti formale nominantur, tum causa quidditatis præcisè intelli-  
gitur. Atque hæc tria non separatim, sed conjunctim sem-  
per sumantur, & sumpta intelligantur, ita ut uno nominato,  
statim includantur reliqua. Unde observari debet hoc axio-  
ma : *Particule exclusivæ in doctrina justificationis non excludunt cau-*  
*sas subordinatas, sive connexas, sed tantum oppositas & alienas.* Sic  
rectè dicitur : *Sola Christi justitia & obedientia justificat, nimirum*  
*fide apprehensa, & à misericorde Deo imputata : Sola fides justi-*  
*ficat, nimirum Dei misericordiam, & Christi justitiam apprehen-*  
*dens : Sola gratia Dei justificat, scilicet per Christi obedientiâ nobis*



aequisita, & verâ fide apprehensa. Absque fide enim nulla fieri potest justificatio, fatente Concilio Trident. c. 8.

XXXI. Atque hinc apparet, quàm arcto vinculo inter se colligata sint gratia Dei, meritum Christi & fides, ita quidem, ut uno nominato, reliqua non excludi, sed simul comprehendi oporteat, unde factum, ut Apostolus Paulus promiscuè nos dicat nunc gratiâ Dei, nunc merito Christi, nunc fide justificari, quoniam unum includit cætera. Quare contra Pontificos sic argumentamur: *Quæ* Apostolus Paulus in negotio justificationis semper conjungit, ut ipsi ferè idem valeant, ea non possunt constituere diversas, aut contrarias formas justificationis. Atqui gratiam Dei, meritum Christi, & fidem Paulus conjungit, ut ferè idem valeant. Ergò non possunt constituere diversas, aut contrarias formas justificationis. Minorem probo ex Rom. 3. *Justitia Dei manifestata est, v. 22. Justitia Dei per fidem, v. 24. Justificantur per redemptionem factam per Christum, v. 25. Deus justificat eum, qui est ex fide Iesu, v. 28. Colligimus fide justificari hominem, v. 30. Deus justificat circumcissionem ex fide, & preputium per fidem, c. 4. v. 3. Credidit Abraham Deo & imputatum est ei ad justitiam, v. 4. idq; ex gratia, v. 5. qui credit in eum, qui justificat impium, imputatur fides sua pro justitia, v. 6. Fides est Abrahæ imputata pro justitia, v. 11. & 13. appellatur justitia fidei, v. 16. ex fide est hereditas, v. 24 futurum est, ut imputetur nobis, qui crediderimus in eum, Gal. 2, v. 16. Scientes hominem justificari per fidem Iesu Christi, & nos in Christum Iesum credimus, ut justificaremur ex fide Christi, v. 17. Justificamur per Christum, c. 3. v. 9. Qui ex fide sunt, benedicuntur, v. 11. justus ex fide vivit, v. 18. hereditas est ex promissione, v. 22. promissio ex fide Iesu Christi datur credentibus, v. 24. Ex fide justificamur, v. 26. Filij Dei estis per fidem, &c. Ex quibus omnibus pater, Paulo perindè esse, si dicat nos justificari à Deo, per Christum, per Christi sanguinem, per redemptionem ejus, gratiâ Dei, per imputationem fidei, fide, ex fide, per fidem, justitia fidei. Neq; hinc colliges, Paulum ista omnia confudisse, sed potius; arctissimam horum cohærentiam demonstrare voluisse. Unde inferimus, sive dicas, gratiam Dei, sive meritum Christi fide apprehensam, sive ipsam fidem apprehendentem, formalem justificationis causam non diversas, sed unam duntaxat, & propriam formam exprimi. *Si objicis*: Efficiens nequit esse forma: Gratia Dei & meritum Christi sunt causa efficiens nostræ justificationis. E. non forma:*

Rispon.



Respondemus: Gratia Dei, & meritum Christi, vel considerantur absolute, & sic sunt causa efficiens atque omnes attinent homines; vel relate, quatenus fide apprehenduntur, & tunc sunt causa formalis, atque non nisi credentes attinent.

XXXII. Atque hactenus utramque sententiam eam, qua potui, brevitate, & perspicuitate recensui, & qualitercunque explicui: Nunc qui falsi, quis verus sit controversiæ status facile deprehendi poterit. *Non queritur, an putative, hoc est, κατὰ δόξαν* solum justificemur, quod nobis falso affingunt Pontificij. *Non queritur, an credentes, postquam remissionem peccatorum fide propter Christum acceperant, renoventur etiam Spiritu mentis suæ? Hoc enim nostratum nemo negaverit. Non queritur, An oporteat existere in homine contritionem, penitentiam, bonum propositum, ac inchoari dilectionem, & sequi bona opera? Hæc enim omnia planè, & clarè confitemur. Hic verò status, & hoc κατὰ νόμον est, ut proponit Chemnitius in Exam. Verum κατὰ νόμον, pag. 129. Quidnam id sit, propter quod Deus hominem peccatorem in gratiam recipiat, quid iudicio Dei opponi debeat, & possit, ne juxta rigidam legis sententiam damnemur, quid fides apprehendere, & adferre, quo nisi debeat, quando vult cum Deo agere, ut accipiat remissionem peccatorum, quid interveniat, propter quod Deus peccatori, qui commertus est iram, & æternam damnationem, reddatur, placatus, & propitius, quid conscientia statuere debeat idud esse, propter quod donetur nobis adoptio, in quo tuto collocari possit fiducia, ut acceptemur ad vitam æternam? An illud sit satisfactio, obedientia, & meritum Filij Dei Mediatoris, an verò inchoationis in nobis novitas, dilectio, & reliquæ virtutes? Cùm enim nostra justitia, & justificatio consistat non nisi in remissione peccati, seu absolute à pœna peccati & adoptione in filios, atque acceptance ad vitam æternam; necesse est, si formale huius justificationis inquirere volumus, ut quæstio ita informetur. Per quod vel propter quod à pœnis peccatorum in severissimo Dei iudicio absolvamur, præsertim cùm æternam simus promeriti damnationem; an propter novitatem aliquam infusam, an propter meritum Christi, quod nos & regenerat, & post regenerationem demum renovat?*

XXXIII. Sed Bellarminus taxat Chemnitium ob hanc status formationem, lib. 2. c. 2. Primùm ait, loqui illum improprie, ut confundere possit causam formalem cum meritoria. Nam vocalem per no-

Remotio falsi  
forum sta-  
tuum.

Verum κατὰ νόμον.

De particulis  
Per & Pro-  
pter.



De particulis  
per & pro-  
pter.

tare causam formalem propriè, rò propter autem causam finalem vel me-  
ritoriam. Respondeo 1. Jesuuitam sibi contradicere; Nam vo-  
cabulo propter utitur ipse ad designandam causam formalem,  
cap. 1. l. 2. statim ab initio, quando inquit: *Expeditis ijs, qua justifi-*  
*cationem precedunt, de ipsa justificatione, hoc est, de causa formali, propter*  
*quam homo dicitur justus coram DEO, differendum est.* 2. Justifi-  
catio est quædam actio; non igitur forma aliqua Physica & sub-  
stantialis hic concipienda, sicut anima est forma hominis, sed  
per formam justificationis intelligi debet illud, propter quod,  
vel per quod; (si ita loqui placeat) absolvimur à peccatis. Sic-  
ut enim in actionibus forensibus causa formalis absolutionis  
termino propter notatur, ut dicamus, *propter hoc vel illud justifica-*  
*tus & absolutus est;* Ita & hic idem terminus non incommode ad-  
hibetur. Neque negamus, rò propter notare simul causam me-  
ritoriam, verum non absolutè, sed relatè, pro ut nobis appli-  
catur. Eadem enim est justificationis causa & meritoria, & for-  
malis: Meritoria, quatenus absolutè, formalis; quatenus relatè  
spectatur. Unde fit, ut per idem vocabulum rò propter causa  
notetur & meritoria, & formalis, diverso tamen respectu.  
Imò potiùs invertenda est subtilitas ista Jesuuitica, ita qui-  
dem, ut potiùs meritoriam causam voculà per, formalem vo-  
culà propter indicemus. Nam dicimus, *per meritum Christi, non*  
*propter meritum acquisita nobis est justitia & regnum cælorum, Propter*  
*hoc autem meritum credentes justificantur.* Ex quibus locutioni-  
bus apparet, voculam per propriè acquisitionem, propter verè  
applicationem notare. 3. Si vocula per est nota causa forma-  
lis, Ergò fides erit forma justificationis, quia passim Scriptura  
testificatur, justificari nos per fidem, *Gal. 2. v. 16. Rom. 3. v. 30.*  
Nunquam autem & nusquam dicit, justificari nos per opera, seu  
per justitiam inhærentem.

XXXIV. Deinde, accusat Jesuuita Chemnitium, quòd  
fraudulenter egerit, opponendo merito Filij Dei inchoatam renovationem.  
Sed respondeo, oppositio illa meriti Christi & virtutum no-  
strarum in negotio justificationis, non à Chemnitio conficta,  
sed ab Apostolo Paulo diligenter tradita est, *Roman. 3. vers. 28.*  
*Et c. 11. v. 6. Galat. 2. v. 16. Et c. 3. v. 2. 12. 13. Ephes. 2. v. 8.* Ubi disertè  
& ex



& expressè opponuntur gratia, Christus, fides & opera five ho-  
mines. *Non ex nobis*, inquit, *DEI donum est, non ex operibus, ne quis*  
*glorietur.*

XXXV. Bellarminus autem porrò statum quæstionis ita in- *statum a Bellarmino for-*  
format cap. 2. l. 2. *Sine formalis causa absolute justificationis, justitia* *malis*  
*in nobis inherens an non?* Nota hic, à Bellarmino insidiosè addi,  
vocem *absolute justificationis*. Non enim nisi unam eamque per-  
fectam justificationem Scriptura agnoscit. Et si justificationis  
forma unica est, confirmante Concilio Tridentino, ipsam et-  
iam justificationem non nisi unicam esse, necesse erit. Quare  
non est alia inchoata, alia absoluta: nec dices, justificationem  
habere suos gradus, ut sit alia minor, alia major; Nam ut unus  
est Christus, unum Christi meritum, una Dei misericordia, ita  
unica est perfecta justificatio: actus, inquam, unus individuus,  
nempè remissio peccatorum. Et Christi justitiæ per mortem ac-  
quisitæ imputatio. Annon verò manifesta blasphemia hæc est,  
justitiam fidei, quam Scriptura etiam vocat justitiam Dei, ap-  
pellare inchoatam tantùm & imperfectam, nostram verò ju-  
stitiam, nobis in hærentem vocare absolutam completam &  
perfectam?

XXXVI. Remotis igitur *μη εν τριβυβοις*, omnium commo-  
dissimè status quæstionis inter nos & Pontificios ita formari po-  
terit.

*An propter meritum Christi, fide apprehen-  
sum, num verò propter virtutes nobis infusas &  
inherentes in severissimo Dei judicio, à pœnis pec-  
catorum nostrorum absolvamur, & in gratiam  
ad vitam æternam acceptemur, seu uno verbo ju-  
stificemur? In his enim duobus consistit nostra ju-  
stificatio.*

Posterius assumunt Pontificij, qui negant, nos, propter  
CHRISTI meritum formaliter justificari, & potius asserunt,  
nos



nos tantum propter virtutes infusas coram Deo justos esse. Sic enim habet Canon 10. Concil. Trid. Si quis dicit homines per Christi justitiam formaliter justos esse, anathema sit. Et Bellarminus inquit, l. 2. c. 2. Si illud propter significat causam formalem, respondemus, nos justificari propter novitatem nobis inherentem, non propter meritum Christi, quod inherere non potest, ideoque nos propter meritum Filij non nisi meritorie, propter novitatem autem formaliter justificari. Costerus idem repetit p. 261. Causa formalis est qualitas, quæ justificatione accipitur, nempe justitia ipsa & gratia: Sic enim per justitiam internam homo est justus, sicut per sapientiam, sapiens, per albedinem albus, per calorem, calidus, per mundiciem, mundus. Contra verò nos, cum Orthodoxis staturimus, peccatorem justificari, & à peccatis absolvi non propter novitatem, non propter infusas virtutes, (tales enim nullæ sunt in homine nondum reconciliato, Et, si essent, imperfectæ essent, ideoque in judicio Dei consistere non possent) sed unice & tantum, propter meritum Christi fide apprehensum. Quia igitur hæc mutua datur ejusdem affirmatio & negatio, apparet inde verum à nobis controversiæ statum esse positum, quippe qui semper ex unius & ejusdem affirmatione & negatione enascitur. Nos enim affirmamus, Christi meritum fide nobis imputatum, esse justificationis formam: Negant hoc Pontificij & affirmant, novitatem & virtutes inherentes esse justificationis formam, id quo nos Orthodoxi negamus, & rationibus firmissimis, jam enumerandis impugnamus.

## QUÆSTIO II.

*Quibus præcipue argumentis Orthodoxa sententia de imputativa justitia contra inherentis propugnatores confirmari queat?*

XXXVII. Plurima pro confirmatione hujus sententiæ produci possunt argumenta, quæ tamen consueto more, 1. In dicta Scripturæ. 2. In rationes ab analogia fidei. 3. Et testimonia Patrum dispesci possunt. Occurrunt autem Scripturæ dicta bene multa



multa quæ ut distinctè proponantur, peculiaribus, certisq; clas-  
sibus illa includemus.

## Prima Classis.

*Continens dicta, quæ docent hominem sine  
operibus justificari.*

**XXXVIII.** Talia leguntur Rom. 3. v. 20. & sequentibus, usq; ad  
31. Roman. 4. v. 2. Galat. 2. v. 16. Ephes. 2. v. 8. Tit. 3. v. 5. Philip. 3. v. 9.  
Ex quibus ita argumentamur, Si justitia DEI, quâ peccator  
coram DEO à peccatis absolvitur, manifestata est absque Le-  
ge, & fieri non potest, ut ex operibus Legis ulla caro justifice-  
tur in conspectu Domini, sed justitia datur per fidem JESU  
CHRISTI, ijs, qui credunt, tunc sequitur, quòd non operæ,  
non virtutes nostræ, sed sola justitia Christi per fidem applica-  
ta, justificet. *Atqui prius est verum, secundum dicta allegata,  
Ergo & posterius.*

**XXXIX.** Consecutio Majoris patet: 1. Quicquid enim ex  
Lege est, id non justificat, Rom. 3. v. 21. Et Rom. 4. v. 13. Galat. 2. v. 21.  
Omnia opera omnesque virtutes sunt ex lege vel pertinent ad  
Legem, unde dicuntur opera Legis, quia Lex est doctrina ope-  
rum, v. 20. Quare opera & virtutes non justificant. Majorem  
probat ipse Apostolus v. 19. & 20. & Rom. 4. v. 14. Galat. 3. v. 10. quia  
Lex damnat, & ex Lege est cognitio peccati, unde Lex justifi-  
care, & peccatum tegere haud potest. 2. Quicquid pertinet ad  
Evangelium, illud tantum justificat, v. 21. 22. Rom. 4. v. 12. Fi-  
des non opera pertinent ad Evangelium. Ergò fides non operæ  
justificant. 3. Quodeunque gloriam potest patere, id omne  
exclusum est à Justificatione, Rom. 3. v. 27. Ephes. 2. v. 8. Atque justitia  
inhærens, & opera possunt parere gloriam, Roman. 4. v. 2.  
Ergò non justificant. 4. Quodeunque Abrahamum non justifi-  
cavit, id neque adhuc justificat. *Atqui justitia inhærens &  
opera non justificarunt Abrahamum, Rom. 4. v. 3. Ergò nec ad-  
huc aliquem justificare possunt.* 5. Contrariorum effecta sunt  
contraria: Fides & opera, credere & facere, in articulo justifi-  
D catio



cationis sunt contraria, Rom. 4. v. 4. & 5. Ergo si fides justificat, opera non justificant. Aut, si opera justificant, tum non justificat fides. Atqui Paulus disertè negat, justificari nos ex operibus legis, & disertè affirmat justificari nos fide, Rom. 3. v. 28. λογίζωμεθα πίστι διχαρισθῆναι ἄνθρωπον χωρὶς ἔργων νόμου. 6. Justitia fidei est vera justitia coram Deo valens, Philip. 3. v. 9. Rom. 3. v. 21. & 22. Atqui virtutes & opera non pariunt justitiam fidei, sed legis, Philip. 3. v. 9. Ergo non sunt justitia coram Deo valens.

*Quid Paulus intelligat per opera Legis, quæ exclusæ vult è negotio justificationis.*

XL. Quatumvis autem veritas horum dictorum adeò manifesta sit, ut nil solidi quod respondeant invenire possint Pontificij, varias tamen elusiones & cavillationes confinxerunt; Alij enim per opera legis intelligunt tantum ea opera, quæ extorquentur metu pœnæ, sine motuum interiorum consensione. Alij opera justificationem præcedentia, non autem consequentia; Alij opera infidelium; Alij opera legis ceremonialis; Alij opera legis, non fidei. Alij sic interpretantur, quòd Paulus loquatur de justificatione prima, quam isti fatentur fieri sine ullis operibus. Putant enim hominem, qui fide sine operibus justificatus fuit in justificatione prima; postea justum esse coram DEO, salvarique & fide & operibus. Verùm Gostevus & Bellarminus hujus explicationis non meminerunt, quod silentium est evidens indicium, quod illam non adprobent. Neque aliter possunt facere, siquidem etiam primæ justificationis forma secundum ipsos posita est in operibus & virtutibus inhaerentibus. Quomodo igitur Bellarminus potissimum, quem hodie sequuntur plerique ad argumentum respondeat, paucis attendemus.

*Quid sit lex factorum & lex fidei?*

XLI. Libro igitur primo cap. 19. ad discussionem hujus argumenti, tria præmittit, nos singula videamus. Primum effugium continet quæstionem, *quid sit apud Apostolum Lex factorum, & Lex fidei?* Quia enim hæc invicem opponuntur Roman. 3. versu 27. Ideò accuratè distinguenda sunt, ne confundantur. Ita autem suam Bellarminus proponit sententiam: *Lex factorum apud Apostolum est ea, quæ jubet quid sit faciendum; Lex fidei est ipsa fides, quæ impetrat gratiam faciendi, quòd lex factorum jubet.* Itaq.



Itaq; utraque lex requirit opera, sed lex factorum continet præceptum, & fidei auxilium. Breviter ergò hæc ipsius mens est, quòd Lex factorum & Lex fidei, non in eo distinguantur, quòd illa requirat opera, hæc non requirat, sed duas istas Leges in hoc convenire, quòd utraque requirat opera, in eo autem unice distingui, quòd illa requirat opera à viribus naturalibus, hæc autem opera, adjuvante Spiritu & gratiâ DEI præstanda. Nota verò sententia est, quòd in ista oppositione Paulina per legem operum intelligatur omnis Lex, quæ requirit opera sive ceremonialia, sive moralia, sive naturalia, sive supernaturalia, sive renatorum, sive non renatorum. Quodcunque enim opus est, id ad Legem operum & factorum referimus, atque à Paulo è circulo justificationis exclusum dicimus, siquidem Lex fidei nihil est aliud, quàm Evangelium, Lex factorum verò id, quod propriè aliàs Legem dicimus. Sicut igitur Evangelium non requirit opera, non est concio pœnitentiæ, ita etiam Lex fidei nulla planè opera exigit. Quam sententiam sequentibus argumentis longè firmissimis probatam damus.

XLII. 1. Quicquid oppositorum uni tribuitur in oppositione, id alteri tribui nequit. Lex factorum & Lex fidei, seu, Lex & Evangelium, in doctrina justificationis sunt opposita, & in illa oppositione Legi tribuuntur opera, & non operari, Roman. 3. v. 27. Galat. 2. & 3. Ergò opera & non operari Evangelio tribui non possunt. 2. Quæ lex accusat peccata & damnat, ea omnis excluditur à justificatione, Roman 3. versu 19. & 20. Atqui omnis Lex, quæ requirit opera, damnat & accusat peccata. Ergò Omnis Lex requirens opera, excluditur. 3. De qua lege dicitur, qui fecerit ea, vivet in eis, Et Maledictus, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro Legis, ea lex excluditur à justificatione, Galat. 3. vers. 10 & 12. Atqui omnis lex requirens opera, talis est. Quare excluditur à justificatione. 4. Quæ Lex jubet facere aliquid, quæ exigit opera, & in doctrina justificationis opponitur fidei & gratiæ, illa excluditur à justificatione Roman. 4. vers. 2. 4. 5. Atqui Lex moralis, ( non tantùm ceremonialis, ) jubet facere aliquid, & exigit

Probatur,  
quòd per legem factorum intelligatur omnis lex, quæ requirit opera.





exigit opera, *Luc. 10. vers. 25. 26. 28.* Et in doctrina justificationis opponitur fidei, *Rom. 3. vers. 24. & 4. vers. 4. 5. Galat. 3. vers. 12.* Ergò lex moralis etiam excludenda erit; quod ipsum fateri coactus est Jesu *Wita cap. 19.* Et addit hanc rationem, *quia Apostolus simpliciter excludat opera nullâ factâ mentione Legis Mosaicæ.* 5. A cujus Legis execratione Christus nos liberavit, ea Lex à justificatione excluditur, *Galat. 3. vers. 12. & 13.* Atqui à Legis potissimum moralis execratione Christus nos liberavit. Quare Lex moralis iterum debet excludi. 6. Quæ Lex omnes omnino arguit homines, & constringit tam gentiles, quam Judæos, ea excluditur à justificatione, *Rom. 3. vers. 9. 10. 29. 30.* Talis verò erat non ceremonialis, sed Lex potissimum moralis; ideoque rursus excludi debet. 7. De ea Lege loquitur Paulus, quæ hominum animis est inscripta, *Rom. 2. vers. 15.* Quæ ostendit peccatum. *cap. 3. v. 20.* Quæ damnat universum mundum, *vers. 19.* Quæ pertinet ad Judæos & Gentes, *v. 9. & 29.* Quæ omnes execratur propter inobedientiam, *Galat. 3. v. 10.* Quæ data est propter transgressiones, *vers. 19.* Quæ opponitur promissioni, *vers. 18.* A qua nos Christus redemit. *vers. 13.* Quæ pædagogus noster est in Christum, *vers. 24.* Quæ ostendit concupiscentiam esse peccatum, *Roman. 7. vers. 7.* Per quam infirmabitur caro, *Rom. 8. v. 13.* Talis verò præcipue est Lex moralis. Ergò exclusâ.

**XLIII.** Sed excipiet Bellarminus, *se lubenter concedere, Legem moralem exclusam esse, non autem ob id Legem fidei, quæ similiter requirat virtutes & vpera.* Respondeo, Nullum potest opus monstrari, quod sit opus fidei non legis. Fidei opera potissimum dicunt Pontificij *spem, dilectionem, contritionem.* Atqui hæc ipsa sunt opera Legis moralis. Ergò etiam ad Legem moralem pertinent. Quodcunque enim à Lege morali Mosaica præcipitur, id pertinet ad eandem legem, & cum eadem ab Apostolo Paulo è circulo justificationis exclusum est. At verò spes, dilectio, timor & aliæ virtutes omnes à Lege morali præcipiuntur. Ergò ad legem moralem pertinent, & per consequens unâ cum lege illa sunt exclusâ è negotio justificationis. *Minor patet, quia*



quia omnia, quæ fidem consequuntur ( ut renatorum charitas, justitia & bona opera ) Legis sunt, legalis charitas & legalia opera sunt. Est enim lex renatis etiam norma bonorum operum, Deut. 12. v. 8. & 32. Fideles quoque pietatem sectantes, bonis operibus in legē & circa legem Domini, velut objectum suum versantur & occupantur, Psal. 19. v. 1. *Beati qui ambulānt in lege Domini.* Nec ulla alia opera Deo placent, quàm quæ secundum legem fiunt, 1. Joh. 3. v. 22.

XLIV. Neque est ut instet Jesuwita: *Renovisse Paulum ista opera in quantum sunt Legis, non autem in quantum fidei. quoniam Lex quidem præcipiat, sed faciendi facultatem non largiatur, quod sit proprium Legis fidei.* Nam hac ratione valdè absurdus esset Apostolus, qui tam anxius fuisset, ne quis putaret se justificari operibus legis moralis, quæ tamen sunt impossibilia. Si enim nemo potest aliquod opus legis moralis facere, non sanè fuisset necessarium remove suspicionem justificandi. Quod enim non est, ejus nullæ sunt affectiones. Atqui secundum Jesuwitam, nulla sunt vel esse possunt opera legis moralis in homine. Ergò nec illis potest ascribi justificatio. Hocine ergò prohibuit fieri Apostolus, quod fieri aliàs impossibile? non secus ac si quis diceret, tu non debes ob virilia facta, quibus tot mille hostes occidisti, gloriari, cum tamen nulla sint talia, Pari modo Paulum argumentari fingunt Jesuwitæ: Vos ex spe & charitate vestra non potestis justificari, cum tamen in non renatos tales virtutes omninò non cadant.

XLV. Diligenter hoc est considerandum, & Pontificijs semper opponendum, qui statuunt, *spem, fidem & dilectionem justificare præcedenter vel dispositivè, & hac opera à justificatione non esse exclusā, per exclusionem legisfactorum, quia non pertineant ad legem factorum, sed ad legem fidei, quippe quæ sola faciat nos idoneos ad virtutes istas; lex verò moralis eas præcipiat quidem, sed non largiatur vim faciendi, ideoq; neminem legi morali duntaxat adherentem posse Deum diligere, Deo credere aut in Deum sperare.* Jam verò ita colligimus; Si nemo potest hæc facere; nemo potest etiam ijs justificationem ascribere. Si



hoc, cur Paulus adeò sollicitus est, ne aliquis justificationem ipsa acceptam ferat? Num igitur hoc ignoravit? impium. Num adeò insulsus & absurdus fuit, ut ea quæ fieri nullo modo possunt, sollicitè prohiberet, ne fierent? ἀτοπον. Proinde ita statuendum, ne Paulo & ipsi Spiritui sancto aliquam ignorantiam aut absurditatem impiè tribuamus. Benè noverat Spiritus sanctus nō prohibenda esse, quæ fieri aliàs nequeunt: (quis enim prohiberet, ne quis hunc globum terræ humeris imponat & aliò transferat, cū hoc simpliciter sit impossibile?) Quoniam igitur hic aliquid prohibuit, necesse est, ut id, quod prohibuit, fieri potuerit. Interdixit autem, ne quis operibus moralibus tribueret justificationem, qualia sunt spes, dilectio, timor. Quare hæc fieri possunt. Non autem sine gratia Spiritus sancti & fide. Hoc ipsum igitur inclusit Apostolus, & per consequens non intellexit opera nō renatorum, cum talia nulla sint, sed potius renatorum: Atq; sic ad legem factorum, quam exclusit Paulus, pertinent illa omnia, quæ Bellarminus ad legem fidei refert.

XLVI. Porro non immeritò quæritur, *Undenam hæc distinctio inter legem factorum & legem fidei hæusa sit? & quibus fundamentis probetur?* Affert Bell. l. i. c. 16. aliquam ratiunculam, cur per legem factorum non omnia omninò opera possint esse exclusa, quam sic proponit: *Si excluduntur omnia opera & omnis lex, excludetur etiam fides. Nam actus fidei est quoddam opus, uti vocatur Joh. 6. 29. Hoc est opus, ut credatis in eum, quem misit ille. Sine hoc opere igitur justificabimur, si fides sine operibus omnia opera excludit, ac per hoc justificari ex fide, nihil aliud erit quàm justificari sine fide. Est etiam quedam lex fidei, de qua Rom. 3. Quod si fides justificans sine operibus legis, excludit omnem legem excludet, etiam legem fidei & quoniam lex fidei est ipsa fides, fides excludet fidem, & ex fide justificari erit, sine fide justificari.* Resp. 1. Quod sit æquivocatio in vocabulo operis. Vel enim per opus intelligitur quævis actio, qualiscunque illa sit, absoluta vel relativa, & hoc sensu fides vocari potest opus, quia est apprehensio, & applicatio, atque sic non opponitur fides & opus? vel propriè & strictè intelligitur actio aliqua vel opus aliquod morale, ex fide ortum & profectum ubi differunt tanquam causa & effectum. Hoc sensu fides & opera sunt opposita; Et talia semper excluduntur e negotio

*Obiectio  
Bellarmini,  
quod non  
exclusa sint  
omnia opera.*

*Operis vocabulum  
duplicitè acci-  
pitur.*



gotio justificationis. 2. Est Homonymia in vocabulo legis. Vel enim generatim & latè accipitur pro omni doctrina, & sic dicitur lex Christi, Galat. 6. v. 2. Et lex fidei, Rom. 3. v. 27. vel speciatiim & pressius, pro Decalogo, & lege Mosaica, quâ posteriore tantum significatione opponitur Evangelio & fidei. Excludit igitur Apostolus à justificatione omnem legem, videlicet propriè dictam, hoc est, quæ opera exigit ab hominibus, & accusat, damnatque inobedientes, ut ita perpetua maneat oppositio Apostolica: *Evangelium, non lex; fides, non opera; credere, non facere, justificat.* Atque sic firmum perstat nostrum argumentum, supra positum: Quodcunque ad legem pertinet, id non justificat. Atque virtutes, & omnia opera propriè dicta, qualiacunque sint, pertinent ad legem Mosaicam à justificatione exclusam. Ergò virtutes & opera non justificant.

XLVII. *Secundum effugium est, quòd Bellarminus distinguit inter justitiam legis, & justitiam in lege, vel ex lege, justitiam legis esse opera justa, quæ lex faciendâ prescribat, & hanc veram esse justitiam: Ex lege verè justitiam ea esse opera, quæ homines faciunt sine gratia fidei, solâ cognitione legis adjuti, & hanc justitiam esse inutilem, & hæc opera non justificare coram Deo, sed solum coram hominibus, qui tantum externa considerant.* Verùm quibus testimonijs probabitur hæc distinctio, & ubinam in Scripturis fundata est? Nobis potius justitia legis, & justitia ex lege unum sunt, & notatur illud, quando quis ex operibus legis, sive externis, sive internis, naturalibus sive supernaturalibus vult justificari. Et quia Paulus justitiam legis, in absolute hominis peccatoris, justitiæ fidei opponit, illâ rejiciens, hanc recipiens; cõcludimus inde, bonis nos operibus à peccatis nostris absolvi minimè posse. Omnia enim opera pertinent ad justitiam legis, ad cujus normam facta sunt. Quodcunque autem tale est, id unâ cum justitia legis ab Apostolo Paulo exclusum est.

XLIX. *Tertium effugium hoc problema continet. Quenam opera Paulus intelligat, sine quibus nos justificari asserit? Nostri dicunt, omnia omninò excludi opera, sive ante fidem, sive post fidem facta, quam sententiam vocat Bellarminus absurdissimam, & ab ignorantia Scripturæ profectam, quod ostendit testimonio Augusti. Sed illud contra nos non militat, siquidè ijs opponendum, qui*

*Num deur  
distinctio in-  
ter justitiam  
legis, & ju-  
stitiam ex  
lege?*

*Quæ opera  
excluduntur  
ab Apostolo  
in negotio  
justifi-atio-  
nis?*

*qui*



qui non solum opera non justificare, sed à justificatis etiam non requiri, statuunt, ita ut fidem putent sufficere, etiam si quis male vivat, quæ sententia nostra non est, ut supra indicatum. Cæterum c. 6. l. i. ait, non omnia opera excludi, sed certum genus operum, id est, opera facta solis viribus nature. vel ex sola cognitione legis Mosaiticæ, vel si quo alio modo opera legis hoc loco intelligenda sunt. Unde apparet, ipsum, dum hæc scriberet, nondum certum fuisse, quænam ab Apostolo exclusa sint opera. Sed c. 19. recenset illorum Catholicorum sententiam, qui putant, per opera, sine quibus nos justificari dicit Paulus, non nisi observationes legalium ceremoniarum intelligendas esse, in qua tamen sententia ipse non acquiescit, sed dicit, sine dubitatione verissimum esse, per opera intelligi ea, quæ fides præcedunt, quæq; solis viribus liberi arbitrii fiunt. Utitur autem ratione, ex Rom. 4. petita, ubi legitur: *Ei, qui operatur, merces imputatur propter debitum*, unde colligit, ea excludi opera, quibus id quod redditur, merces est non gratia, qualia sunt solum ea, quæ fiunt vi liberi arbitrii: quod enim reliquis redditur, non esse simpliciter mercedem, sed etiam gratiam, imò magis gratiam, quam mercedem. Verùm respondemus, hoc non esse propositum Pauli in isto dicto; sed potius argumentatur à genere ad speciem: *Omni operanti merces imputatur secundum debitum*, Ergò etiam operanti renato, vel non renato. Deinde non dicitur, quòd operanti soli merces imputetur, sed utrique operanti & credenti, merces imputari dicitur, illi secundum debitum, huic secundum gratiam. Justificatio enim operum fit secundum debitum, non quidem simplex, sed ex promisso. Illam igitur excludit, siquidem vult nostrum *δικαιωσις* merè gratuitam esse. Tandem fallitur Bellarminus, cum scribit, id quod redditur operibus, quæ ex gratia fiunt, esse partim mercedem, partim gratiam. Ita enim cōsistere simul possent contraria immediata, quod est contra Apostolum Rom. ii. v. 6. ita concludentem: *Quod si per gratiam, non jam ex operibus*, hoc est, ex meritis operum, alioquin gratia jam non est gratia, &c.

Rationes,  
quod omnia  
opera sint  
exclusa.

XLIX. Ut autem eò fortiùs retundatur adversarius, & probetur, omnia prorsus opera ex circulo Justificationis excludi, quædam & rationes & exempla diligenter annotanda sunt. RATIONES: i. Si tota lex & omnia omninò opera legis oppo-

naa-



nuntur promissioni & fidei, in negotio justificationis coram Deo, vana est in hoc argumento distinctio operum, quæ antecedunt, vel consequuntur justificationem. Prins autem est verum ex Rom. 3, v. 20. 21. c. 4, v. 14. Galat. 2, v. 16. 17. c. 3, v. 18. Ergò verum etiam erit posterius. 2. Si Apostolus Paulus indistinctè & generaliter ait, *Ex operibus legis non justificari carnem, vana est ista distinctio. Verum antecedens, Ergò & consequens.* 3. Quæcunque opera parere possunt gloriationem, illa hîc sunt exclusa. Atqui opera absolutè omnia parere possunt gloriationem, Rom. 4, v. 2. *Si Abraham ex operibus justificatus fuit, habet, quod gloriatur,* Excipit Bell. c. 19. *Hanc gloriationem fieri in Domino, qui suppeditavit vires bona opera faciendi, & non esse prohibitam, juxta illud 1. Cor. 10. Qui gloriatur, in Domino gloriatur.* Resp. hoc ipsum etiam de Abrahamo dici potuisset, quòd non suis, sed Spiritus sancti viribus bona opera ediderit, & tamen Paulus inquit: *Si Abraham ex operibus justificatus fuit, habet, quod gloriatur,* quia sancti cooperantur Deo in bonis operibus, 1. Cor. 3, v. 19. Quare posito; quòd bona opera fiant, partim viribus arbitrij, partim viribus gratiæ, excludi nequit gloratio. In quantum enim fiunt viribus arbitrij, in tantum gloriari quis potest. 4. Paulus disputat contra Pseudoapostolos, Hi autem quamvis justos & injustos aliter definebant, quam Scriptura definit: tamen non erant adeò stupidi, ut hominum adhuc impiorum opera vim justificandi habere judicarent. Itaq; si Apostolus impiorum tantùm operibus, justificationis efficaciam detraheret, nonnè à scopo disputationis aberraret? Si opera, quæ hîc non excludi vult Bellarminus, consequuntur fidem, utique non justificant, sed sequuntur justificationem. Fides enim dicente Apostolo justificat, opera autem, quæ hîc volunt intelligi Pontificij, consequuntur fidem, Ergò & justificationem. Quare non justificant, neque forma justificationis esse possunt. 6. Si illa opera excluduntur omnia, quæ sine speciali Spiritus sunt gratia, etiam fides excludetur, quia ad notiam illam generalem, quam isti fidem putant, non opus est gratiâ S. S. quippe cùm illa fides reperiatur etiam apud eos, qui mortalibus peccatis excusserunt S. S. Concil. enim Trid. agnoscit, sess. 6. c. 5. *fideles fornicarios, fideles adulteros, &c.* Unde sic inferimus: *Quodcunq; opus bonum*  
E  
repe-



reperitur in homine non renato, & mortaliter peccante, id non  
adjuvante Spiritu, sed solis arbitrii viribus fieri putandum est.  
Atqui fides Papistica reperitur in non renatis, ut in adulteris. Ergo  
est opus arbitrii, & per consequens exclusa à justificatione, quia  
dicunt ea omnia, quæ fiunt viribus arbitrii, exclusæ esse.

Exemplis in  
dem evincitur.  
1, Abrahami.

L. EXEMPLA, 1. Abrahami. Hic Rom. 4. introducitur tan-  
quam universale exemplum justificationis; Quare si opera et-  
iam bona & ex fide profecta excluduntur à justificatione Abra-  
hami, sequitur, quod etiam è nostra justificatione excludantur.  
Sed verum prius, E. & posterius. Minorem probo. Quia ponitur  
Abraham pro exemplo non in prima conversione, sed post con-  
versionem, cum jam fidem satis probasset, & multa bona opera  
egisset. In illo igitur medio quasi cursu bonorum operum mo-  
vetur à Mose in V. & Paulo in N. T. quæstio, *Quanam tunc fuerit  
justificatio coram Deo?* Et Paulus sanè ad illum Abrahamum, jam  
renatum, & multis operibus ornatum, accommodat has sen-  
tentias Rom. 4, v. 1. *Si ex operibus, habet gloriam.* v. 5. *Non operanti.* v.  
6. *David dicit, beatitudinem esse illius, cui Deus non imputat peccata sine o-  
peribus.* Quod enim de Abrahamo renato loquatur, facile patet ex  
collatione Genes. 15, v. 6. & Rom. 4, v. 3. Cum enim Moses diceret:  
c. 15. *Credidit Abraham Deo, tum erat jamdudum conversus, ut pa-  
tet ex Genes. 11.* Et quando Paulus hoc dictum ex Mose repetit,  
certum est, illum respexisse unà cum Mose ad illa Abrahamæ tem-  
pora, quibus jam tum conversus erat. Vide plura apud Chemnitium  
part. 2, LL. CC. p. 232. & in Exam. p. 134.

LI. Ad hoc autem argumentum ita respondet Bellarminus, l. 1.  
c. 19. *Abraham eo tempore, de quo loquitur Apostolus, renatus quidem erat,  
& ex fide multa bona opera faciebat: tamen Apostolus cum dicit eum justi-  
ficatum esse ex fide, non ex operibus, non rejicit opera facta ex fide, sed  
affirmat, illa non esse facta sine fide, quia, si talia fuissent, nunquam eum  
justificassent. Itaq; excludi opera, quæ Abraham facere potuisset, non ex fide.  
Sed mera hæc est cavillatio, quæ lux veritatis, nullo modo obfu-  
scari potest. Unde enim probabit Jesuwita, loqui Apostolum  
de operibus, non quæ faciebat, sed quæ facere poterat Abraha-  
mus? Verba certe sunt manifestissima: *Si Abraham ex operibus justi-  
ficatus est, habuit gloriam. Quomodo gloriam habere potuisset, ab  
operibus, quæ non fecisset?* Loquitur proinde Apostolus de just-  
ficat-*



ficatione Abrahami, non quæ fieri poterat, sed quæ actu erat. Quia igitur res erat præsens & actualis, videl. justificatio Abrahami, formam quoq; ejus rei oportet actualem esse & præsentem: Proponitur autem res duplex, fides & opera Abrahami, & quaeritur, an opera, an fides Abrahamum justificaverint? Respondet Apostolus, fide justificatus est sine operibus; hic certè non potes intelligere opera potentialia, sed actualia: quandoquidem non quaeritur, per quid justificari potuerit Abraham, sed per quid justificatus actu fuerit? Nunc igitur ita colligimus: Omnia opera, quæ comitantur Abrahamum renatum, excluduntur à justificatione. Ergo etiam opera ex fide profecta. Potest hoc argumentum rectè iis opponi, qui justificationem secundam operibus ascribunt. Jam enim renatus erat Abraham, fatente Bellarmino. Quare non loquitur Apostolus de justificatione prima simpliciter, quod vult Becanus. Non igitur possum dicere, quod opera excludantur à prima, includantur in secunda justificatione. Nam Abraham jam tum justificatus erat, & tamen de ipsius justificatione, quæ continuabatur, ideoq; ratione continuationis secunda nuncupari posset, expressè dicitur, quod facta fuerit fide sine operibus.

LII. Excipit porrò Jesu wita, loqui Apostolum cum conditione: Sed quid inde? Nihil sanè ipsi accedit, nec nobis decedit, cum aliàs omnes syllogismi hypothetici forent rejiciendi, tanquam inepti, & parum concludentes. Sed pergit ille: Abrahamum habuisse gloriam apud Deum, ideoq; ex operibus justificatum fuisse. Verùm hoc est contra Apostolum, & magnâ eget probatione. Ita enim ratiocinatur Paulus: Quicumq; justificatur ex operibus, qualiacunq; sint, ille habet gloriam coram hominibus, sed non apud Deum, quia opera etiam optima in judicio divino non consistunt. Atqui Abraham apud Deum fuit, habuit gloriam. Ergo ex operibus etiam optimis, justificatus nullo modo.

LIII. 2. Exemplum Davidis. Hic postquam dixisset, Ps. 143. v. 2. Exaudi me in justitia tua, mox addit, Ne intres in judiciū. Non autè timer David tyrannicā quandam crudelitatem, unde sequitur, quòd Deus tum dicatur intrare in judicium, quando hominū naturā, vitam, & actiones, & opera exigit ad normā justitiæ suæ. Quare ergo hoc judicium deprecatur David? An forsan nulla habuit bona opera? At hoc de Propheta illo, per quē S. S. loquebatur, nō est credibile: præsertim cum se vocet servū Dei: Ne intres in judiciū cum servo tuo. Quid a  
E 2 fit



sic servus Dei, ipse explicat Psal. 18. *Servus tuus custodit mandata tua.*  
Tunc igitur cum esset servus Dei, non vult juxta inhaerentis no-  
vitat<sup>is</sup> justitiam judicari, quia inquit: *Non justificabitur in conspe-  
ctu tuo omnis vivens.* Et Psal. 32. de omnibus sanctis dicit, quod *ipsis  
imputetur justitia sine operibus.* David igitur à justificatione exclusit  
etiam sanctorum, & renatorum opera.

3. Apostolorum.

LIV. 3. Exemplum Apostolorum Galat. 2. v. 16, dicit Apostolus:  
*Nos in Iesum Christum credidimus, ut justificaremur ex fide Christi, non ex  
operibus Legis.* Jam verò si sancti Jesu Christi Apostoli sine suis  
operibus, (quæ procul dubio fuere bona) ex sola fide justificati  
sunt, sequitur, quod ex justificatione omnia absolutè sint exclusa  
opera. Verum prius ex illo Gal. 2. Ergò & posterius.

4. Pauli.

LV. 4. Pauli in specie, qui Phil. 3. v. 8. ait *ἡ γὰρ ἡμῶν*, Existimo, omnia  
detrimentum esse propter eminentem scientiam Iesu Christi, ut & inveniar  
in illo, non habens meam justitiam, quæ ex lege est, sed illam, quæ ex fide est  
Christi, quæ ex Deo est justitia in fide. Hic non solum in præterito sed  
in præsent<sup>i</sup> etiam de suis operibus, post conversionem factis, io-  
quitur, quæ si pro forma justificationis habeantur, pronunciat  
esse stercora, & detrimenta, ideoque dicit, se non habere justi-  
tiam, quæ ex lege est, sed illam, quæ ex fide est Christi, Bellar. in-  
quit, loqui Apostolum de operibus factis sine fide, quia facta ex fide nequeant  
nominari stercora, & Gal. 5. nominentur fructus Spiritus. Verum respon-  
sio est facilis: opera damnantur, si justificare; laudantur, si non  
justificare, sed justificatum sequi dicantur. Priori sensu, si nimi-  
rum in circulum justificationis assumantur, sine blasphemia no-  
minari possunt, stercora. Et ut res manifestior sit, si opera Paulus  
exclusa velit, consideretur id, quod scribit 1. Cor. 4. v. 4. *Nihil mihi  
consci<sup>us</sup> sum, sed in hoc non sum justificatus.* Idem enim dicit, quod  
Act. 23. *Ego omni conscientia bona conversatus sum ante Deum usq; in ho-  
diernum diem, & Actor. 24. Studeo sine offendiculo conscientiam habere ad  
Deum.* Sed audi, quid Paulus renatus de sua illa justitia bonæ con-  
scientiæ, quam gratiæ Dei tribuit 1. Cor. 15. pronunciat: *In hoc, in-*  
*quit, justificatus non sum.*

Rationes, cur  
bona etiam  
renatorum  
opera exclu-  
dantur è ne-

LVI. Evidentiora verò erunt hæc testimonia, & exempla omnia,  
si annotentur rationes Paulinæ, ob quas etiam bonis renatorum  
operibus justificationem ademit. 1. est *Exclusio Legis*; Quodcunq;  
ad le-



ad legem pertinet, id remouetur à justificatione, quæ non ex Le-  
 ge, sed Evangelio. Atqui omnia omninò etiam renatorum opera  
 ad legem pertinent, sunt enim à Deo in lege præcepta. Ergo re-  
 mouentur à justificatione. Si enim justificarent, profectò justifi-  
 catio quadamtenus ex lege esset, quod est contra Paulum Galat. 3.  
 v. 2. Phil. 3, v. 9. Et nota, Paulum non dicere, fidem iustificare hoc  
 sensu, quòd præparet vel adiuuet nos ad acceptandam iustitiam  
 operum, uti volunt Pontificij, sed potius omninò excludi opera:  
 Unde dicitur Rom. 1. v. 17. In Evangelio revelatur iustitia Dei, non ex  
 fide in opera, sed ex fide in fidem. Et Galat. 2, v. 16. Nos credidimus in  
 Christum, non ut fide assequeremur iustitiam operum, sed ut iusti-  
 ficemur fide non operibus. Et studiosè observanda est illa distin-  
 ctio Apostolica, ex fide, non ex operibus, neque admittenda illa con-  
 iunctio Papistica, ex fide simul & operibus nos justificari. Sic enim me-  
 rito Christi multum detraheretur, ac si illud non potuisset nos  
 sine nobis iustificare. Vi ergò huius distinctionis, & disjunctio-  
 nis verissimè concludunt illa Pauli, Si ex operibus, non ex fide. Si ex  
 lege hereditas, exinanita fides & abolita est promissio, Rom. 4, v. 14. Gal. 3.  
 v. 18. Si per legem iustitia, Christus gratis mortuus est. Gal. 2. Perpetuæ  
 sunt hæc disjunctiones; Neque committendum, ut à Papistis ita  
 explicentur. Si ex lege justificamur, Christus gratis est mortuus, hoc est,  
 si proprijs viribus justificamur. Nam generaliter & semper hæc op-  
 ponuntur, Lex & Evangelium, credere facere, fides opera; quæ  
 quoniam coniungunt Pontificij, certè Apostolis in os quasi con-  
 tradicunt. Hæc enim sunt Apostolica: 1. Nos fide justificari, Rom. 3, v. 28. 2. Sine operibus, ibidem. 3. Non operando, sed cre-  
 dendo, Gal. 2, v. 16. 4. Imputatione secundum gratiam, ibidem. 5. Ex  
 gratia, Gal. 3, v. 24. 6. Propter Christum, ibidem. 7. Sine lege, Gal. 3,  
 v. 21. 8. Non nisi per fidem, Galat. 2, v. 16. Romanenses verò his  
 prorsus contradicunt. Hæc enim illorum sunt assertiones: 1. Ju-  
 stificari hominem fide, spe, & charitate simul. 2. Operibus Evan-  
 gelij. 3. Operando Evangelicè. 4. Secundum debitum & iusti-  
 tiam. 5. Merendo. 6. Per bona opera. 7. Non sine operibus.  
 8. Per fidem & opera. Quæ enim Apostoli generaliter dixerunt,  
 de omnibus operibus, hæc ipsi specialiter interpretantur de ope-  
 ribus factis sine fide: quæ illi perpetuò disjunxerunt & oppo-



suerunt, hæc ipsi conjungunt, & pro consentaneis habent, quod minimè ipsis concedendum.

LVII. 2. *Exclusio gloriationis.* Si enim justificamur sine omni nostra gloriatione, ex operibus certè justificari non poterimus. Verum prius, Ergò & posterius. Qui enim gloriatur, in Domino gloriatur, 1. Cor. 1, v. 31. Non autem excluditur gloriatio per legem factorum ( hoc est, quando quis vitæ æternæ hæreditatem idè accipit, quòd ea, quæ in lege scripta sunt, fecerit, ) sed per legem fidei, hoc est, quia Christus est perfectio legis ad justitiam omni credenti, &c.

LIX. 3. *Imperfectio operum.* Quia omnia nostra opera sunt imperfecta, idè justificare nequeunt, aut in judicio Domini consistere: Nam & ipsa opus habeat aliquã veniã propter adhaerentem infirmitatem, Psal. 32, v. 6. Matth. 6, v. 12. Ut orandum sic cum Davide ex Psalmo 143, v. 2. *Ne intres in judicium cum servo tuo.* Vide has rationes latius persequentem *Chemnitium* in Exam. pag. 136. 137. & in Locis pag. 334.

## Secunda Classis,

*Continens dicta, quæ docent hominem gratis vel ex gratiã justificari.*

*Gratia & opera sunt opposita.*

LIX. Talia leguntur Roman. 3, v. 24. Actor. 15, v. 10. Rom. 4, v. 16. Rom. 5, v. 15. 17. 21. Rom. 11, v. 5. 6. Galat. 2, v. 2. Galat. 5, v. 4. Ephes. 1, v. 5. 6. 7. 6. 2, v. 8. Tit. 3, v. 7. Ex quibus ita argumentamur: *Quicumq; justificantur gratis ex gratia, illi non justificantur suis virtutibus vel operibus. Sed qui justificantur, illi omnes justificantur gratis, & per gratiam Dei.* Ergò non justificantur suis virtutibus. Major est firmissima, ob perpetuam *ἀντιθεσιν* inter *gratis dari, & propter opera dari, inter gratiam & opera.* Uno igitur contrariorum posito, tollitur alterum, & per consequens, nos justificabimur gratis ex gratia, & simul ex operibus, sed potius concludendum est, cum Apostolo, *si ex operibus, non ex gratiã, alioquin opera non sunt opera; si ex gratiã, non ex operibus*



ribus, alioquin gratia non est gratia. Gratia enim non est gratia ullo modo, si non ex gratia omni modo, quemadmodum scribit Augustinus. Et notandum quod Apostolus loquatur, non in specie de his vel illis, sed in genere de omnibus operibus. Indefinita enim, quâ utitur, æquipollet universali. Urque planè nulla esset dubitandi causa, addit vocabulum  *δωρεάν gratis*, ne quis putet illam gratiam ex nostris contingere virtutibus & operibus. Quodcunque enim omninò gratis datur, ejus rei fundamentum nullum esse potest in accipiente. Atqui nos gratis justificari dicimur. Ergò Justificationis causa ne quidem minima, multò minùs formalis, nobis inhaerere potest.

LX. Neque est, ut excipiant Pontificii, nos gratis ex gratia justificari ideò, quia habitus justitiæ gratis nobis infundatur. Speciem enim quandam haberet hæc exceptio, nisi Apostolus hæc duo semper opposuisset, gratiam & opera, ita ut in hoc negotio simul stare nequeant, quæ profectò  *ἀντιθετός* omninò tollitur, si Pontificiorum interpretatio locum habere debeat. Nam quando Paulus dicit: *Justificamur gratis, sine operibus, fide, ex solâ gratiâ*, Pontificii ita dicunt; *Iusti sumus gratis ex gratia, & gratis per infusum justitiæ habitum, non sine operibus*. Nonne hæc est manifestissima contradictio, & verborum Pauli apertissima depravatio? Observandum verò hic, & repetendum, aliter Pontificios, aliter nostros verbum justificandi accipere. Illi enim active, nos passive intelligimus: Illi sumunt Ethicè: nos Theologicè. Illis justificari est inhaerenter justum fieri, nobis verò est à pœnis absolvi, quam forensam interpretationem si semper urgemus, prodibunt ex ipsorum glossis paraphrases locutionum Paulinarum absurdissimæ.

LXI. Nunc quid Bellarminus lib. 1. cap. 21. ad particulam *gratis*, respondeat, attendemus. Summa responsionis hæc est: *τὸ ἄδωρον* tuitum justificationis vel opponitur operibus factis ex natura, vel operibus factis ex gratia. Istis opponitur hac ratione, quia talia opera omnia non conducunt ad justificationem, quia nec de congruo, nec de condigno sunt meritoria. His opponitur, in quantum meritoria censentur de condigno.

Justifica-



Justificatio igitur hominis dicitur gratuita, 1. quia opera facta ex fide non de condigno, licet de congruo, habitum justitiæ promerentur. 2. quia opera facta sine fide nullo modo, neq; de condigno neq; de congruo merentur. Per gratiam igitur propriè excludi meritum condigni operum sine fide factorum. Hæc Bellarmini est sententia.

LXII. Verùm 1. obstat *avriçans* Apostoli, qui *τὸ* gratuitum semper opponit operibus, & quidem indefinite, hoc est, omnibus. 2. *τὸ* gratuitum propriè dictum, excludit omnem causam, in eo, cui quid gratuito donatur. Quòd si ergò justificatio nostri verè debet esse gratuita, nihil in nobis hærebit, quod justificationem promereri valeat, sive meritum illud sit de congruo sive de condigno. 3. Quantum nobis & nostris meritis ascribitur, tantum sufficientissimo Christi merito adimitur, quod impium. 4. Quomodo distinctionem illam ex Apostolo Paulo probabit Jesuwita? Ubinam distinguitur inter meritum congrui & condigni? 5. Si dicant, redundare hoc in ipsum CHRISTUM, quia illa opera non sint ex viribus naturæ, sed gratiæ gratis datæ præstita, statim quærimus, quid intelligant per istam gratiam, quam horum operum causam, efficientem appellant? *Aut* enim generalem, *aut* specialem. Si hanc, prorsus errant, quia hæc nemini contingit, nisi reconciliato. Cùm enim homo adhuc est filius iræ, tum nequit esse particeps gratiæ Dei specialis, quâ prosequitur nos, tanquam sibi placentes & dilectos filios. Jam quicumque est extra dilectionem vel gratiam Dei specialem, illius opera non possunt dici profecta ex gratia Dei speciali, quod enim nondum est, qui agere aut operari valeat? Atqui omnes non justificati sunt extra gratiam ac dilectionem Dei specialem, quod modò conclusum. Ergò illorum opera ex gratia DEI speciali profecta esse nequeunt, quod erat concludendum. Sin autem Pontificij gratiam intelligant *generalem*, omninò fumos vendunt & pro re substituant verba, hoc est, sonora mendacia. Nam generalis illa gratia nihil est aliud, quam universalis concursus primæ causæ, qui in omnibus actionibus & moralibus & naturalibus est necessarius. Ob istum verò concursum actiones non dicuntur theologicæ aut spirituales, quamvis non sint absque generalis gratiæ

De distinctione inter opera naturæ & gratiæ.

officium  
infirmitatibus  
omnibus



gratiæ divinæ adjumento factæ. Nam in omnibus actionibus tria sint oportet principia, *universale*, quod Deus est, *commune*, quod natura; *particulare* vel *speciale*, quod semper agens est proximum. Atque ab hoc fit denominatio. Si principium proximum est agens naturale, actio dicitur naturalis, si agens est liberum, actio dicitur moralis, si agens autem sit peculiaris Spiritus sancti gratia, tum actio vocatur spiritualis. Sicut igitur comestio non vocatur actio Theologica, etiamsi absque gratia Dei generali homo non possit comedere, sic opera ante justificationem facta dici nequeunt opera Theologica vel opera gratiæ, licet Deus generaliter concurrat. Ratio est hæc, quia denominatio & distinctio actionum desumitur non à generali, sed speciali & particulari principio. Prodent igitur hoc in loco sese Pontificij, quòd apertè pelagianizent, Nam & ipso Pelagius ita se explicabat, quòd opera liberi arbitrij vocentur opera gratiæ, quia homo sine gratia, (intelligebat verò generalem) nihil possit. Verum rectè ipsi responsum, quòd opera naturæ & opera gratiæ ita distinguere nequeant, quia ad omnem actionem gratia Dei concurrat. Nihil igitur dicunt Pontificij, quando censent, excludi opera naturæ, non verò gratiæ. Quæ enim ipsi vocant opera gratiæ, non sunt talia, sed potiùs opera naturæ, quia ultimum & proximum principium sunt vires naturæ, non specialis gratia, quæ in nondum justificatis locum non habet. Unde manifestè colligitur, merum esse glaucoma, quando distinguunt *inter opera naturæ & gratia, hæc, non illa esse meritoria, & sic omnem laudem ad DEVM redundare.*

## Clasfis tertia,

*Continens ista dicta, in quibus sola fides, omisis operibus reliquis nominatur.*

LXIII. Hujusmodi leguntur, Rom. 3. 4. 5. Galat. 2. Luc. 7. &c. unde sic argumentamur: Si virtutes vel opera justificarent, utiq; justificatio nostra non soli adscriberetur fidei, quod tamen sit in dictis modo allegatis. Sed respondet Bellarminus c. 20. quòd sæpè solet fieri, ut quando multæ concurrunt causæ, effectus nunc huic, nunc illi causæ ascribatur. Sic

F

justi-



*Justificationem nunc fidei attribui, nunc dilectioni, nunc spei. Veram Apostolus Paulus Rom. 3. & Gal. 2. nostram accuratè vult describere justificationem secundum causas suas, & nullum est dubium, quòd etiam illud præstiterit. Quicquid igitur Apostolus de justificatione ex professo agens non nominavit, in eo non consistit ipsa forma & quidditas justificationis nostræ. Atqui dilectionem, spem, & alias virtutes non nominavit. E. in his non consistit ipsa justificationis nostræ forma. Major probatur, quia verisimile non est, Apostolum superficialiter hinc de justificatione scripsisse, sed potius accuratissimè hoc negotium exposuit, cum aliquot capita tractatione illius insumpserit. Qui ergò non accusari posset vel supinæ negligentia, vel crassæ alicujus inscitia, si formalem justificationis causam non expressisset? Habemus aliàs ibi nominatam causam efficientem primam, videlicet Dei favorem & gratiam, habemus causam efficientem secundam & meritariam, videlicet Christi satisfactionem; habemus causam instrumentalem, videlicet fidem, Dei gratiam & meritum Christi apprehendentem; habemus formam & quidditatem, nempe remissionem peccatorum, factam ob imputatum, & fide apprehensum, meritum Christi, habemus denique finem nimirum declarationem justitiæ divinæ. Ubi verò opera, ubi habitus infusi, ubi virtutes inhærentes? Altum de his in doctrina justificationis silentium. Costerus quidem scribit pag. 271. reliqua opera sub fide comprehendit. Sed 1. petit principium. 2. ἀντίθεσις Apostolica contrarium docet. 3. Opera refert ad fidem, quæ tamen formaliter pertinent ad legem. 4. Spes & aliæ virtutes præcederent justificationem, quod absurdissimum.*

## Classis quarta,

*Continens dicta, quæ docent nostram justificationem consistere in remissione peccatorum & imputatione fidei.*

LXIV. Hunc pertinet dictum Rom. 3. v. 25. Rom. 4. v. 56. & seqq. 2. Cor. 5. v. 19. Act. 13. v. 38. & 39. Luc. 18. v. 13. & 14. Ex quibus tale  
necti-



nectimus argumentum: Si tota hominis justificatio consistit in imputatione fidei, in remissione iniquitatum, in non imputatione peccati, in promissione hereditatis, tunc non opera aut virtutes inherentes, sed imputatio justitiæ Christi vel fides erit forma justificationis. Atqui prius verum est. Ergo & posterius. Ut minor evadat manifestior, probabimus eam ex singulis dictis.

LXV. Rom. 3. v. 25. justificatio disertè dicitur consistere in remissione peccatorum. Ita enim habent verba: DEVS Christum proposuit propitiatorium per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ (nunc recenseat, in quo consistat hæc justitiæ) *ἵνα τὸ πᾶσι ἁμαρτωλοῦν ἵνα ἴδωμεν τὴν δωρεάν τὴν δωρεάν τὴν δωρεάν*, propter remissionem precedentium delictorum. Lutherus vertit: Welchen Gott hat fürgestellet zu einem Gnadenstuhl / darmit, er die Gerechtigkeit / die für ihm gilt / darbiete / in dem daß er die Sünde vergibt. Hic certè verbis aper- tissimis docetur, in remissione peccatorum sitam esse nostram justitiam & justificationem. Sic Rom. 4. v. 5. fides dicitur reputari ad justitiam, videlicet ratione Christi apprehensi, cuius phrasæ sensus disput. 4. in voce imputationis explicatus fuit & demonstratus. Vers. 6. ex Psal. 32. beatitudo vel justificatio nostra per remissionem peccatorum, per imputationem justitiæ, per occultationem iniquitatum, per non imputationem delictorum definitur. Ubi observandum est, Davidi & Paulo idem valere, sive dicatur, peccata remitti, sive regi. Nimirum sicut veste conteguntur cicatrices, vulnera & sordes in corpore: Ita sanguine Christi tanquam pallio quodam conteguntur peccata credentium, ne veniant in conspectum Dei & iudicium. Sunt quidem omnia oculis Dei obvia, & occultari ab iis nihil potest. Eccl. 17. v. 16. & 23. v. 28. Psal. 139. v. 12. Credentium tamen peccata non dicuntur contecta, ut Deus ea intueri nolit, neq; eorum meminisse, de qua re ita loquitur Ezechiel c. 33. v. 16. Omnia peccata ejus (scilicet hominis resipiscientis) quæ peccavit, non commemorabuntur. Et consideranda est oppositio, quia v. 13. dicitur de homine justo in peccata ruente, Omnes justitiæ ejus non memorabuntur. Nemo autem affirmabit actu tolli & deleri opera justorum omnia, quæ fecerunt, antequam in peccatum ruerent: idem dicendum de sceleribus, unde sequitur, Pontificios vehe-

Probatur justificationem consistere in remissione peccatorum.



menter errare, disputantes in justificatione hominis, peccata  
universa planè colli, & exterminari, ut nihil de iis permaneat re-  
liquum. Quod si ita sit, non rectè jam dixeris, Davidem adulter-  
rum & homicidam, Paulum blasphemū & persecutorem, Petrum  
abnegatorem Christi, cū isti resipuerint & justificati sint.

De dicto 2.  
Cor. 5. v. 19.

LXVI. Porrò 2. Cor. 5. v. 19. dicitur, *Reconcilians sibi mundum. μη λογίζομαι αὐτοῖς τὰ ἁμαρτώματα* non imputans illis delicta ipso-  
rum. Vides hic reconciliationem seu justificationem definiri ex  
eo, quòd peccata non imputentur. Excipit Bell. lib. 2. c. 10. *Non im-  
putationem notare & remissionem peccati, & infusionem justitiæ*, quod  
ut probet, producit quædam Scripturæ testimonia, sed ea non  
probant, quod intendit Jesuista, quamvis nonnulla ostendant  
nos ideò esse Deo reconciliatos per Christum, ut sisteret nos san-  
ctos & immaculatos & irreprehensibiles coram se, Coloss. 1. v. 22.  
Quæ causa finalis reconciliationis inscitè confunditur à Bellar.  
cum causa formali. Neque à nobis negatur, utrumq; esse Christi  
beneficium, scilicet & remissionem peccatorum, & vitæ novita-  
tem: sed tamen distinguenda sunt illa secundum tenorem Apo-  
stoli, ut reconciliatio quidem consistat in remissione peccato-  
rum, tanquam forma; interna autem renovatio sequatur recon-  
ciliationem; tanquam effectus sive fructus.

De dicto Act.  
13. v. 38.

LXVII. Ulterius Act. 13. v. 38. legitur, *Notum sit vobis, quòd per hunc  
Christum crucifixum vobis remissio peccatorum annuntiatur, & quòd ab  
omnibus, à quibus non potuistis per legem Moysi justificari, hoc est, absolvi, per  
hunc, omnis, qui credit, justificatur, hoc est, absolvitur.* In dicto hoc  
multa latent argumenta, quæ quamvis non omnia ad hunc perti-  
neant ordinem, tamen simul recensebimus. Justificamur per  
Christum. Ergò non per virtutes aut opera propria. 2. Justifica-  
tio est annunciatio remissionis peccatorum per Christum, Quare  
remissio peccatorum, est forma justificationis. 3. Expressè dicitur.  
*A quibus non potuistis justificari*, ubi non nisi forensis significa-  
tio obtinet, ut sit idem, quod non absolvi. Aliàs profectò mira-  
foret huius loci interpretatio. 4. Per legem nemo potest justi-  
ficari. Ergò virtute & opera, quia ex lege sunt, & ad eam perti-  
nent, non justificant. 5. Omnis qui credit, propter Christum  
justificatur, non autem per legem. Fides igitur (non opera) est  
forma justificationis. Bellarm, l. 2, c. 12. ad hæc excipit; *per Chri-  
stum*



stum quidem nos justificari, est inde non sequi quod excludatur virtus & qualitas à DEO infusa. Nam per Christum nos justificari, ut causam efficientem per virtutem & qualitatem infusam ut per causam formalem. Resp. Oppositio in verbis Pauli nimis clara est, Ubi Evangelium & Lex, fides & opera, Christus seu Dei gratia, & jugum legis opponuntur, & nulla ibi fit mentio infusæ qualitatis, quasi per eam, justificemur. Neque ferendum est, ut dicat Jesuvvita, Apostolos in summa doctrinæ de Justificatione proponenda omisisse causam formalem. Et sanè nullius momenti est ratiuncula Bellarmini; *Christus est efficiens causa nostræ justificationis. Ergo non formalis*; Potest enim utrumque esse, sed diverso respectu, illud quo ad acquisitionem, hoc quo ad applicationem. Sic quando de dispositionibus loquuntur Pontificii, tunc iis absurdum non est, nunc ad efficientem nunc ad causam formalem illas referre. Cum verò de merito Christi disputant, tunc ipsis hoc planè videtur absolum.

LXIIIX. Porro vocabulis fidei & credendi novam affingit Bellarminus significationem. *Iis, inquit, annunciat remissio peccatorum, qui credunt in Christum, ut oportet, scilicet faciendo quicquid ille fieri iussit, &c.* Sed quærere lubet ex Bellarmino, quis Propheta, quis Apostolus, quis Evangelista talem fidei formaliter justificantis significationem unquam docuerit. Dixit sæpiùs, fidei formam esse credere, scripsit etiam, fidem credendo recipere Christum, *lib. 2. de gratia c. 3. & l. 1. de justificat. c. 15.* Quomodo ergò fides versatur in faciendo, operando, implendo? Nam Paulo hæc sunt opposita credere, & operari, *Rom. 4, v. 5.* Quæ dum fidei simul tribuit Jesuvvita in argumento justificationis, annon proponit opinionem novam, absurdam & ineptam? Annon confundit Evangelium & Legem? Annon contradicit doctrinæ Apostolicæ? Dissidet præterea a seipso, quia suprâ disputabat, *fidem esse tantum in intellectu, non etiam in voluntate.* Operari autem (quod hic fidei proprium vult esse) ex charitate, sanè voluntatis est. Disserebat etiam *l. 1. passim, fidem meritorie, videlicet de congruo, justificare, & habere justificandi efficientiam.* Quæ ergò est differentia inter Christum & fidem, si & ille & ista est causa efficiens justificationis meritoria? Sic arguebat suprâ: *Christus est causa efficiens. Ergo nequit esse ejus forma.* At *l. 1. c. 17.* utrumque conjungit, in fide, cui tribuit



efficientiam & meritum justificationis, simulque scribit, fidem esse initium justitiæ, ac per hoc causam esse formalem inchoatam justificationis, & c. 20. fidem, tum dispositivè, tum formaliter justificantem, eandem statuit esse fidem. Dicit enim tale esse initium, quod veniente justitiâ non cedat & recedat, sed quod maneat & perficiatur, quo modo arborum radices non arescunt, sed crescunt & roborantur, crescente arbore. Ex quo simili colligitur, ipsi eandem esse fidem, quæ & inchoat & perficit justificationem, quæ est & efficiens meritoria & causa formalis. Si n. diversa foret, non perficeretur. Bellarmino igitur fides potest quidem esse causa efficiens & formalis justificationis: Christus a. utrumque esse nequit. LXIX. Sed rursus excipit, quod remissione peccatorum nominatâ, simul intelligatur infusio justitiæ, & probat inde, quia in alijs Scripturæ locis fit mentio sanctificationis, mundationis, ablutionis, quæ alteram partem justificationis ostendant. R. N. C. quia confunditur forma justificationis cum ejusdem effectu. Fatemur ipsi, in justificatis requiri & esse renovationem, vitæque novitatem, sed hoc est justificationis consequens, non forma teste Apostolo. Damus etiam hoc, conjungi in justificationis forma, cum remissione peccatorum justitiâ, sed non nostram, verum Christi. Quare sic rectè concluderet Bellarminus: *Justificatio requirit justitiâ. Ergo non constat solâ peccatorum remissione, cui nulla planè sit conjuncta justitiâ, sed potius tali remissione, quæ indiviso nexu copulatam sibi habeat justitiâ Christi.* Istam verò glossam, quod per legem Mosis intelligantur opera viribus nostris facta, suprâ refutavimus.

De dicto Luc.  
18. v. 13.

LXX. Tandem confirmatur nostra sententia ex Luc. 18. v. 13. & 14. Ubi publicanus dicitur justificatus, cum solum postulasset remissionem peccatorum, dicens, *DEVS esto propitius mihi peccatori,* Bell. c. 12. l. 2. excipit, simul ipsam petisse infusionem justitiæ. Non enim postulasse solum debiti condonationem, quasi vellet iniquus esse, sed non haberi à Deo, neque puniri. Resp. Calumnia est, quam admiscet de putativa justificatione. Deinde publicanum simul petisse justitiæ habitum, ut justificaretur, unde probabit? Errat autem in eo, quod ait, *ipsum non solum peccatorum remissionem, sed integram potuisse reconciliationem, quasi peccatorum remissio non sic integra, sed tantum dimidia reconciliatio, cum tamen dicatur 2. Cor. 5. v. 19. reconcilians mundum, non imputans ipsis peccata.*

Classis



## Classis quinta,

*Enumerans dicta, quæ docent Christum  
nostram esse justitiam.*

LXXI. Hoc referimus dicta: Ier. 23. v. 6. 1. Cor. 5. v. 30. 2. Corinth. 5. v. ult. Rom. 5. v. 19. 10. v. 3. & 4. Act. 15. v. 10. c. 19. v. 38. Et ita concludimus: *Quæ justitia à Deo ipso nobis datur, ut per eam justificemur, illa est formalis causa justificationis. Atqui justitia Christi, quam suâ obedientiâ & passione nobis acquisivit, ab ipso Deo nobis datur, ut per eam justificemur, vi allegatorum Scripturæ textuum. E. justitia Christi, formalis causa est justificationis.*

LXXII. Bell. l. 2. c. 10. ad dictum Jeremiæ & 1. Cor. 1. excipit, *Christum dici nostram justitiam non per imputationem fidei, sed 1. quia est causa efficiens nostræ justificationis. 2. quia sic est nostra justitia, sicut est nostra sapientia & redemptio. 3. quia satisfecit Patri pro nobis, & istam satisfactionem nobis donat & communicat, cum nos justificat, ut nostra satisfactio & justitia dici possit. Respond. videtur Bellarm. hic orthodoxus esse. Nam & ipsi concedimus, Christum dici nostram justitiam, 1. ob acquisitionem, & hætenus est causa efficiens. 2. ob imputationem & applicationem, & sic est causa formalis. Quocirca diligentissimè notentur verba isthæc Bellarmini, quæ vel ipsi invito vis veritatis extorsit: *Etiam si, ait, per justitiam nobis inhaerentem verè justii nominemur & simus: Tamen non per eam satisfacimus Deo pro culpis nostris & pœna æterna, sed est illa justitia inherens cum remissione culpæ & sempiternæ pœnæ, effectus satisfactionis Christi, quæ (ut dicit concil. Trid. sess. 6. c. 7.) nobis in justificatione confertur & applicatur. Et hoc modo non esset absurdum, si quis diceret, nobis imputari Christi justitiam & meritum, cum nobis donentur & applicentur, ac si nos ipsi Deo satisfacissemus, modò non negetur esse præterea in nobis justitiam inherentem, eamq; veram & absolutam esse justitiam, cui justo Dei judicio non debeatur pœna sed gloria. Hæc Bellarminus, cujus sententiæ prior pars est Evangelica & Apostolica, ideoque hæc confessio instantiæ perpetuæ loco notetur, semperq; opponatur Pontificijs, imputatâ justitiam negantibus, & illâ calumniosè vocantibus, justitiam putativam, fictitiam, imaginariam, phantasticam,**

*Quomodo  
Christus dica-  
tur nostra ju-  
stitia?*

*rem*



rem minima Entitatis *καὶ νομοθεσίαν*, insaniam: Posterior verò pars neque ex priore consequitur, neque cum ea potest consistere, & est heterodoxa. Si enim Christi justitia est nostra per imputationem, cur nobis obtruditur justitia inhærens? Unica enim est forma justificationis, juxta Concilium Tridentinum, Et si verò est aliqua justitia operum, nobis inhærens tamen illa non est forma justificationis, sed effectum ejus sive consequens, neque potest illa ferte rigorem divini judicij propter multiplicem imperfectiorem & infirmitatem adhærentem. Observetur autem contradictio Bellarmini. Concedit ex loco *Ierem. 23*, sequi, *Christum esse nostram justitiam per imputationem*, vel, justitiam Christi nobis imputari. At *l. 2. c. 7*, scribit: *nullum potuisse hactenus inveniri locum, ubi legeretur Christi justitiam nobis imputari ad justitiam*. Et paulò post: *Fieri non potest, ut Christi justitia nobis imputetur, quæ certè palpabilis est ἀντιφάσις.*

Quomodo  
Christus sit  
factus peccatum?

LXXIII. Sed nunc considerabimus textum *2. Cor. 5. v. ult.* *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit; ut nos efficeremur justitia Dei in ipso.* Quomodo ergò Christus factus est peccatum pro nobis, ita nos in ipso vel per ipsum efficimur justitia Dei, hoc est, coram Deo valens. Atqui Christus factus est pro nobis peccatum per imputationem. Ergò & nos efficimur justitia per imputationem. Minor probatur ex *2. Cor. 5. v. ult.* *Deus fecit Christum pro nobis peccatum*, hoc est, æstimavit eum sceleratū, atq; omnium peccatorum totius mundi reum, & tanquam placularem hostiam ac victimam pro peccato offerri voluit. Utrumq; igitur vocabulo peccati, quod Christus dicitur factus, notatur. videlicet & imputatio peccati ac satisfactio pro peccato: Unde non assequuntur emphasin Apostolicam, peccatum accipiunt tantū pro hostia victimali, sed hoc potius vult Paulus 1. Deum omnia peccata nostra conjecisse in Christum ac si ejus essent propria. 2. Christum in proprio corpore suo pertulisse peccata nostra super lignum, *1. Pet. 2. v. 24*. 3. Christum tanquam hostiam in cruce expiisse peccata nostra, ut ea non nobis imputentur, atque sic Deo reconciliemur. Opponit enim Apostolus *ἀμαρτίαν καὶ δικαιοσύνην*. Dicit nos fieri *δικαιοσύνην*, sicut Christus factus est *ἀμαρτία*. Quemadmodum igitur per *δικαιοσύνην* justitia propriè dicta, non aliqua hostia, intelligitur, ita etiam per *ἀμαρτίαν* peccatum



tum propriè dictum, non autem unicè hostia pro peccato intelli-  
gi potest.

LXXIV. Verùm Bellarm. lib. 2. cap. 10. excipit, Christum non dici  
peccatum vel peccatorem, neq; ipsi peccata nostra imputari, quasi ipse illa fe-  
cerit, & iniquus haberi possit, sed solum imputantur illi, quo ad debitum sa-  
tisfaciendi. Ast contrarium jam modò evicimus ex illa ἀντιθέσει  
quam Apostolus instituit inter δινασοῦνν & ἀμαρτίας. Non  
quidem affirmamus, Christum ipsum peccata fecisse, cum  
non sit in ore ipsius inventus dolus. Petr. 2. vers. 22. Sed tamen  
CHRISTO imputata sunt nostra peccata, ut propter nostra, non  
sua peccata; diceretur peccator, imò & fieret peccatum, ut hîc  
Apostolus loquitur. Sicut enim ob imputationem non solum  
dicimur justî, sed etiam abstractè dicimur justitia; ita Christus  
non solum peccator, sed etiam abstractè peccatum propter im-  
putationem hoc in loco nominatur. Quod ut manifestius fiat,  
alia etiam Scripturæ loca, idem evincentia adnotabimus.

LXXV. Esa. 53. vers. 6. dicitur Deus in eum coniecisse omnia pec-  
cata nostra, Unde Joan. 1. v. 29. Agnus Dei vocatur, qui portat peccata  
mundi. Luc. 22. v. 37. Numeratus est cum iniquis Esa. 63. v. 3. Indumenta  
mea inquinavi. Et hoc ipsum confirmant etiam sequentia argumen-  
ta, 1. Quicumq; luit aliena peccata, & pro ijs sati facit, illi peccata i-  
sta imputantur, tanquam propria. Atqui Christus luit aliena pec-  
cata, & satisfecit pro alienis debitis Esa. 53. vers. 6. Psal. 69. v. 5. Quæ  
non rapui, tunc reddidi, E. aliena peccata ipsi sunt imputata,  
2. Quicumq; vocat sua peccata, quæ tamen ipse non commisit  
illi aliena peccata rursus imputantur. Atqui Christus vocat sua  
peccata, quæ tamen ipse non commisit, sed alij. Vicissim igi-  
tur aliena peccata ipsi imputantur. Minor patet ex Psal. 69. ver. 6.  
Deus tu nosti stultitiam meam, & delicta mea à te non sunt abscondita. Quæ  
verba sunt CHRISTI, sicuti totus ille Psalmus agit de Chri-  
sti passione, teste Johan. 6. 19. v. 28. & 29. Et Paulo Rom. 10. v. 3. Por-  
rò. 3. qui revera mortem peccatis debitam subit & gustat, is aut  
ipse peccavit, aut imputantur ei peccata aliena. Christus autem

Probatum  
Christo pec-  
cata nostra  
fuisse impu-  
tata.



mortem peccatis debitam revera subiit & gustavit, nec tamen ipse peccavit. Ergo Christo imputantur peccata aliena. 4. Cui imputatur alterius poena illa, etiam imputatur culpa, quia haec est causa illius. Atqui Christo imputabatur poena peccatorum nostrorum, fatentibus ipsis Pontificijs. E. & culpa. Huc spectant etiam verba Bernh. Ex epist. 109. ad Invoc. *Si unus pro omnibus mortuus est. E. omnes mortui sunt, ut videlicet satisfactio unius omnibus imputetur, sicut omnium peccata unus ille portavit.* Hinc Lusherus rectissime super 3. c. ad Gal. *Christus est quidem innocens, quia est immaculatus, & incontaminatus Dei agnus, sed quia portat peccata mundi, premitur ejus innocentia peccatis & reatu totius mundi. Quaecumque peccata ego, tu & nos omnes fecimus, & in futurum faciemus, tam propriae sunt Christi, quam si ipse ea fecisset. In summa, oportet nostrum peccatum fieri Christi peccatum proprium, aut in aeternum peribimus.*

LXXVI. Ex his igitur argumentis & testimoniis abunde patet, non esse dogma impium vel absurdum, si Christo peccata mundi imputari dicantur, quod Apostolus sic effert; *Deus Christum fecit peccatum.* Et ne pontificij excipiant, peccati vocabulum tantum accipi pro victima pro peccato, proponimus illis, oppositionem Apostolicam peccati & justitiae. 2. Synonymiam peccati, 2. Cor. 5. 9. ult. *Et maledicti; Gal. 3. v. 13.* Sicut enim Christus non solum maledictus sed ipsum dicitur maledictum, quia nostram in se recepit maledictionem: ita non solum peccator, sed ipsum dicitur peccatum, quia nostra in se recepit peccata. 3. Argumentationem Apostolicam, *Deus non imputat peccata reconciliatis, qui Christum pro illis fecit peccatum.* Rationem appellationis propheticae. Quare Christus dicitur peccatum? Respondet Esaias, *quia Deus in eum coniecit omnia nostrorum peccata c. 53. v. 6.* *Quia portat peccata mundi.* Joh. 1. vers. 29. 1. Petr. 2. vers. 24. Et tandem 5. typum hirci emissarii *Levit. 16. vers. 21,* super quo confitebatur Pontifex omnia populi peccata, & ponebat ea super illius caput, & sic mittebat in desertum, quo ipso praefiguratum est, Christum antitypum, totius mundi peccata in se esse recepturum, & pro ipsis Deo Patri satisfacturum.

LXXVII. Plures nunc addi possent testimoniorum clas-



classes, nostram *ἴστυ* de justitia imputata, non inherente confirmantes. Sed quia sufficere queunt haecenus proposita, & reliqua fuse & solide explicata sunt, à Dn. D. GERHARDO Tom. 3. LL. Commun. prolixiores hinc non erimus, sed alias ab analogia fidei petitas rationes breviter subjungemus.

LXXVIII. ARGUMENTA AB ANALOGIA FIDEI.

I. Ab imperfectiōe operum. Imperfectum non justificat, quia justitiam nostram in judicio Dei consistentem oportet esse perfectam: Opera verò sunt imperfecta. Esa. 64. *Omnes nostrae justitiae sunt instar panni mulieris menstruate.* Dan. 9. *Non in justitijs nostris* Psal. 130. *Si iniquitates observaveris Domine, quis sustinebit?* Psal. 143. *Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Luc. 17. *Cum feceritis omnia &c.* 1. Ioh. 1. 8. & 10. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Hinc ipsi renati carnis reliquias circumterunt in hac vita, ac sentiunt, se non posse legi Dei satisfacere, unde Apostolus ait Rom. 7. vers. 14. *Lex spiritualis est, ego autem sum carnalis.* Eadem lucta inculcator. Gal. 5. v. 17. *ob quam opus est petitione remissionis* Matth. 6. vers. 12. Psal. 32. v. 5. Psal. 19. v. 13. Bellarminus cap. 14. l. 2. distinguit inter justitiam actualem, & habitualem, illam quodammodo esse imperfectam concedit non verò habitualem, hanc, non illam, formaliter justificare. Verum ipsi urgent hoc principium: *qualis effectus, talis causa, &c.* L. 2. Eth. ad Eudem. c. 13. ait Philosophus *τῆς βελτίστης ἐξ ἑωσὶ ἢ βελτιστη γεια* Opera verò, quae sunt effectus justitiae habitualis, sunt imperfecta. Ergo omnis justitia inherens erit imperfecta. Quodcunque enim permixtum est reliquiis peccati, id perfectum esse nequit; Justitia illa habitualis permixta est reliquiis peccati. Quare perfecta esse, dicere haud poterit.

Argumentum  
1. Ab imperfectiōe operum.

LXXIX. II. A PERFECTIÖNE MERITI DOMINICI.

Sufficiens est Christi meritum ad remittendi peccata. Quare non opus est nostris opellulis, aut si iis opus, Christi meritum erit insufficiente, imperfectum illiq; multū detrahatur, tantum nimirū quantum nostris operibus adscribitur. Et quā contumeliosi sint

2. A perfectiōe meriti Domini.



Pontificij in sacratissimum Christi *λύτρον*, facile pater inde, quod istud non dicant causam remissionis, sed duntaxat justitiæ habitualis, ob quam peccata remittantur.

3. *Ab exclusione gloria-  
tionis.*

LXXX. III. AB EXCLUSIONE GLORIATIONIS. Scribunt quidem Pontificij, ex suo dogmate non præberi ansam gloriandi, hoc tamen falsum est, quoniam dispositiones quasvis faciunt meritorias. At verò illæ, nil sunt, quàm opera naturæ, uti supra ostensum. Gratia enim, ex qua ista fieri volunt, tantum generalis est. Annon igitur magna gloriandi ansa suppeditatur, si quis sciat, suis se operibus propriis de congruo fuisse promeritum gratiam justificantem? Tale igitur argumentum neçimus: Quæcunque doctrina gloriationi fenestram aperit, non est Apostolica. Sed doctrina Romanensium de justitiâ inherente, fenestram aperit gloriationi. Ergò non est Apostolica.

4. *A reconcilia-  
tione.*

LXXXI. IV. A RECONCILIATIONE. Homini nondum reconciliato nullæ infunduntur virtutes, quia hæ proveniunt à gratiosa Spiritus sancti inhabitatione, quæ non est nisi in reconciliatis. Quare ipsa reconciliatio præcedit infusionem virtutum. Reconciliamur autem DEO per justificationem, unde & hæc præcedere consequitur. Virtutes igitur nequeunt esse forma justificationis, quia consequens nunquam potest forma esse antecedentis, cum omnis forma prior sit formato.

5. *Ab experientia.*

LXXXII. V. Ab experientia & testimonio conscientie. Quivis Christianus pius & devotus, cum cogitat, sibi esse reddendam rationem coram tribunali Christi, mox contremiscit, etiam si sanctissime vixerit. Quod testimonium conscientie indicat, nostra opera esse imperfecta, & consistere non posse coram Deo. Et sanè si quis in timore Domini conferat bona opera sua cum malis, & peccatis quotidianis, deprehendet luculenter, nullam in propriis virtutibus, aut operibus spem certam esse reliquam, sed hæc in solo potius Christi merito collocandam.

83. VI. A.



LXXXIII. VI. *A remissione peccatorum.* Quo modo consequi- *6. A remissione*  
mur remissionem peccatorum, eodem justificamur, quia con- *peccatorum.*  
sequi remissionem peccatorum est justificari Rom. 4. v. 7. A sola  
fide in Christum, non propter dilectionem aut opera consequi-  
mur remissionem peccatorum. Ergo eodem modo justificabi-  
mur. Pro minoris probatione tale argumentum neccimus;  
quo modo Christum Mediatorem apprehendimus, eodem mo-  
do consequimur remissionem peccatorum. Nam certum est,  
peccata remitti propter Christum Mediatorem & propitiato-  
rem, Rom. 3. vers. 25. At Christum Mediatorem non apprehendi-  
mus, nisi fide, Hebr. 4. v. 15, 16. ubi Apostolus jubet accedere  
ad Deum, non *fiduciâ nostrorum meritorum*, sed fiducia Pontificis  
Christi ideoq; nihil nisi fidem a nobis postulat.

LXXXIV. VII. *A fluctuatione conscientiae.* Si operibus, aut *7. A fluctua-*  
partim fide partim operibus justificaremur, perpetuò fluctua- *tione conscio-*  
rent, nunquam verò quiescerent conscientiae, quippe infirmo *entiae.*  
fundamento, quod est imperfecta justitia, innitentes. At  
non debeat fluctuare conscientiae sicut dicitur Rom. 4. vers. 16. i-  
deò ex fide, ut firma sit promissio. Et Rom. 5. vers. 1. Justificati fi-  
de pacem habemus cum Deo.

LXXXV. TESTIMONIA PATRUM. Horum plurima *Testimonium*  
colligit Chemnitius in Examine & locis, Protestantes in causis re- *Iustini.*  
tractati Concilij, & Gerhardus Tom. 3. & alij. Quare sufficiet hic  
unum atq; alterum quod Colophonis loco adponemus: 1. Justi-  
nus Martyr epistolâ ad Diognetum: *Quid aliud peccata nostra tegere*  
*potuit, quam Christi justitia? In quo alio nos iniqui & impij pro justis habe-*  
*ri possumus, nisi in solo Dei Filio? O dulcem permutationem, o impervestigabile*  
*artificium, & beneficia expectationem omnem superantia, ut iniquitas*  
*quidem multorum in justo uno abscondatur, justitia autem unius faciat, ut*  
*multi injusti justificentur.* 2. Hieronymi dictum est: *justitia nostra non* *Hieronymi.*  
*ex proprio merito, sed ex Dei misericordia consistit.* 3. Augustinus. l. 19. *Augustini.*  
*de C. D. c. 25. Justitia nostra, peccatorum constat remissione non perfectione*  
*virtutum. Et in Psal. 31. Tantum credidero in Deum, d. putabitur mihi ad*  
*justitiam.* 4. Bernhardus Serm. 23. super canticum: *Non peccare*  
*Dei justitia est, hominis justitia indulgentia Dei est.* Idem Serm. 51. Me- *Bernhardi.*



vultum meum miseratio Domini, Et alibi; Hoc sufficit scire ad meritum; quod non sufficiat meritum. s. Anselmus super c. Rom. 6. vers. ult. deo est profecto gratia quicquid meritis deputas: nec est, quod gratia iniret, ubi jam meritum occupavit.

LXXXVII. Subjungenda nunc esset *Ἀλύσις* rationum, contrariarum: Quia verò illarum plurimæ sunt, & hæc *συζήτησις* jam antè satis excrevit, proximæ illas disputationi reservabimus, hinc Deo agentes gratias, qui nos naturâ filios iræ adoptavit in filios gratiæ, mittendo Filium unigenitum & largiendo fidem ipsam, quam confirmet in nobis clementer, ut finem ejus salutem animarum, desideratissimam cum omnibus beatis in cælo consequamur, Amen.

F I N I S.














Fig 2909

(7/3)

ULB Halle 3  
 002 387 158




Sb. 2011


3 1/2

VO 17


M. C.











an 9

LOGIAE

XXVII.

RATIONIS

IS,

ORMA

ATIONIS

pposita,

. Academia,

Collegio proposita,

DIO

I, SS. Th. D.

TE,

AMBECIO

ora 2. pomerid.

GAE,

IS, Anno 1618

